DE GLADIATVRA ROMANA

QVAESTIONES SELECTAE

DISSERTATIO PHILOLOGICA
QVAM
AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA
RITE IMPETRANDOS
VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS
DIE XX M. DECEMBRIS A. MDCCCLXXXI
PVBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

PAVLVS IONAS MEIER
MAGDEBVRGENSIS

ADVERSARII ERVNT

AVGVSTVS KALKMANN
ROBERTVS MVENZEL
LVDOVICVS SEELBACH

BONNAE
TYPIS CAROLI GEORGI VNIV. TYPOGR.
MDCCCLXXXI

FRANCISCO BVECHELER
RENARDO KEKVLÉ
HERMANNO VSENER
S.

Postquam philosophorum Bonnensium ordo amplissimus proposita anno MDCCCLXXIX ex instituto Welckeriano quaestione hac: „gladiaturae Romanae historia ex scriptorum et titulorum testimoniis artisque monumentis explicetur" dissertationem, quam de hac re scripsi, praemio dignam esse benigne est arbitratus, partem eius uiris doctis propono praemissa de Suetonii historia ludicra i. e. de grauissimo in rebus ludicris fonte commentatiuncula.

Caput I.

Suidas in librorum Suetonii Tranquilli catalogo duos affert libros: *περὶ τῶν παρ' Ἕλλησι παιδιῶν βιβλίον ᾱ* et *περὶ τῶν παρὰ Ῥωμαίοις θεωριῶν καὶ ἀγώνων βιβλία β̄*, quos Reifferscheid (Sueton. reliqu. p. 461 sq.) duas unius libri de historia ludicra i. e. de lusibus et Graecis et Romanis atque de spectaculis utriusque gentis fuisse partes coniecit, ita ut Suidae fuisset scribendum: *περὶ τῶν παρ' Ἕλλησι παιδιῶν καὶ ἀγώνων βιβλία β̄, περὶ τῶν παρὰ Ῥωμαίοις παιδιῶν καὶ θεωριῶν βιβλία β̄* [1]). Incidit uir egregius in illam sententiam imprimis propter duo Suetonii fragmenta, quae hunc etiam de Romanorum lusibus scripsisse euincere ei uidebantur:

1) Similem etsi multo minus probabilem coniecturam iam ante Reifferscheidium protulerat Regent (de Suet. uita et scriptis, diss. Vratisl. 1856, p. 8 sqq.), qui in libro *π. τῶν παρ' Ἑ. παιδιῶν* etiam publica Graecorum certamina et in libri *π. τῶν παρὰ Ῥ. θεωριῶν καὶ ἀγώνων* parte altera lusus, altera publica spectacula putauit fuisse tractata. Reifferscheidium nuper secutus est Leopoldus Cohn in commentatione non tam copiosa quam longa de Aristophane et Suetonio Eustathii auctoribus (Fleckeis. annal. supplem. XII p. 354) nouis argumentis non allatis. Quaecunque contra Reifferscheidium dicentur, etiam Regentii et Cohnii sententiam adtingent.

Suet. fr. 197 Rff. (= Seru. Aen. V 602) „ut ait Suetonius Tranquillus, ludus ipse, quem uulgo pyrrhicham appellant, Troia uocatur, cuius originem expressit in libro de puerorum lusibus" et fr. 198 (= Pseudacr. in Horat. art. poet. 417) „ita enim pueri currentes aiunt: occupet scabies in extremo remanentem . . .; scabies ludus puerorum est, ut habes in Suetonio". Sed parum caute opinor egit; nam nullo modo demonstravit non potuisse dici de Troia et scabie lusibus in libro *περὶ τῶν παρ' Ἕλλησι παιδιῶν*. Primo quidem obtutu ludus Troiae cum lusibus Graecis nihil habere uidetur commune; atqui ipso Suetonio teste uulgo confundebatur cum pyrrhicha Graeca [1]), quae quia non solum publicis ludis spectante populo, sed etiam in palaestra corporis exercendi causa a Graecis ludebatur [2]), sine dubio in libro de Graecorum lusibus erat memoranda. Suetonius igitur, ut confusionem illam, quam pro falsa habebat, refutaret, utriusque ludi originem naturamque narrans et similitudines et discrimina eorum exposuisse uidetur [3]). Neque uero eodem iure ludus Troiae cum lusibus Romanis, qui aut uoluptatis aut corporum exercitationis causa luduntur, erat coniungendus atque pyrrhicha cum Graecis. Permultis enim ueterum locis docemur eum fuisse certam circensium ludorum partem eademque atque hos praeditum sanctitate [4]). Quam ob rem id certe negandum est potuisse fieri, ut in libro et ludos circenses et lusus continente — talem enim sibi fingit Reifferscheid — ludus Troiae non cum circo, sed cum lusibus uolgaribus componeretur.

Simili modo etiam de altero loco iudicandum est. Simpliciorem enim ludum, quam haec scabies est, mihi fingere nequeo

---

1) Mirabantur complures uiri docti, uelut Meursius (de orchestra t. V p. 248 Lam.), hos duos lusus potuisse inter se confundi, praesertim cum ludus Troiae equestris, pyrrhicha uero pedestris fuisset. Sed Herodian. IV, 2, 9 et Agath. II 1 p. 64 Nieb. pyrrhicha equitum memomatur.

2) Cf. Plut. quaest. conu. IX, 15, 1 et Aristoxenum apud Athen. XIV p. 631 c.

3) Monendum est Servium uocem Graecam *παιδιῶν*, quamquam etiam ad aleae pilaeque lusus spectabat (Fresenius de *λέξεων* Arist. et Suet. exc. Byzant. p. 88 sqq.), ad *παίδων* tantum lusus rettulisse. Ceterum ex ipsis Seruii uerbis „in libro de puerorum lusibus" unum tantum de his rebus extitisse librum concludendum est.

4) Cf. imprimis Plutarch. Cat. min. c. 3: *ἱερὰν ἱπποδρομίαν, ἣν καλοῦσι Τροίαν* et Senec. Troad. 778 ed. Leo. Testimonia de hoc ludo congessit A. Goebel in progr. gymnas. Durens. 1852; cf. etiam Friedlaenderum in Marquardtii enchiridii III p. 505.

atque ueri habeo simillimum non solum Romanos et nos Germanos — nam Germani quoque pueri talem lusum exercent — sed etiam Graecos habuisse istum lusum. Suetonius uero etiam hoc loco de Graeco ludo locutus Romanorum respexit mores adnotauitque Romanos illum lusum nominasse scabiem [1]).

Sed fac Suetonium etiam de Romanis lusibus edidisse librum, tu putas hunc cum illo de Graecis lusibus fuisse coniunctum? Veri est dissimillimum. Nam Suetonii libri de blasphemiis et de lusibus, ut Augustus Fresenius l. c. p. 32 not. 2 et p. 80 not. (cf. etiam Flachium in Rh. Mus. XXXVI p. 320) suo iure contendit, Graece erant scripti, quo sermone in libro de Romanis lusibus eum esse usum uix erit qui existimet. Praeterea cum permulti lusus, ne dicam plerique, et Graeci et Romani essent, uix potuit fieri, ut scriptor, quem non omnis destituerat sapientia, in priore libro de Graecis, posteriore de Romanis disputaret.

Sed etiam alia ratione Reifferscheidii coniecturam de quattuor historiae ludicrae partibus falsam esse demonstrari potest. Scripsit enim Suetonius neque librum de Romanorum lusibus neque librum de Graecorum spectaculis. Iam Regent l. c. p. 10 sqq. Tertullianum in libello de spectaculis Suetonii historia ludicra usum esse suo iure coniecit. Atque non tam singulos illius libri locos uir christianus excripsit, quam totam formam et singularum deinceps partium ordinem sibi sumpsit, ita ut hodieque Suetoniani libri dispositionem optime liceat cognoscere. Diuisus erat in partes quattuor, quae erant de ludis circensibus de ludis scaenicis de agonibus de muneribus; id enim manifeste docent permulti Tertulliani loci, ubi quattuor illa spectaculorum genera eodem semper ordine aut recensentur aut perstringuntur [2]). Eadem genera etsi ordine turbato [3]) enarrantur etiam ab Isidoro orig. lib. XVIII

---

1) Vix monendum est Suetonium sine dubio de pluribus locutum esse Graecorum lusibus, quam Pollux Eustathius excerpta Byzantina nobis tradiderunt.

2) Respondet totius Tertullianei libri dispositio Suetoni; ordini; praeterea is inuenitur his locis: c. 3, 16—19 (16 de circo agitur, 17 de theatro, 18 de stadio, 19 de amphitheatro), 20, 21, 22, 23, 25, 28, 29. C. 30 extremo, quod theatrum et amphitheatrum notione „utraque cauea“ designantur, ordo paullulum mutatur. Vno tantum loco (in eodem c. 30) ordine deleto memorantur deinceps tragoedi et histriones, auriga, xystici.

3) Turbatum esse ordinem uel ea res docet, quod Isidorus sibi ipse non constat, quippe qui, etsi c. 16 dicit: „ludus autem gymnicus

c. 16 sqq., qui aliquo modo eundem Suetonium sequitur. Commentatus est igitur Suetonius non tam singulos dies festos eorumque ludos, quam uaria spectaculorum genera, quorum deinceps origines titulos apparatus[1]) loca artes exposuit. Sed cum duo spectaculorum genera, circense et scaenicum, non solum nomen „ludorum", sed etiam originem Etruscam et plerosque titulos i. e. dies festos, quibus edebantur, haberent communia, utriusque generis et originem et titulos uno eodemque loco narrari necesse erat. De titulis uero locutus Suetonius historiam singulorum festorum, quibus ludi spectabantur, inde a primis iam regum aetate institutis, Consualibus et Ecurriis, usque ad eos, qui libera florente republica creati sunt, conscripsit[2]). Iam uero certa extant indicia, ex quibus perspicitur Suetonium in illo libro etiam Graecorum spectaculorum fecisse mentionem; dicit enim c. 5: „nam et cum primi scaenae[3])

---

est aut circensis aut gladiatorius aut scaenicus", tamen postea de agonibus, de ludis et circensibus et scaenicis, de muneribus deinceps loquatur.

1) Hac uoce intelleguntur omnes res sacrae in spectaculis adhibitae; cf. Tertulliani uerba c. 4: „exinde apparatus, quibus superstitionibus instruantur". Quam ob rem errauit nouissimus libelli editor E. Klussmann, qui c. 13 reiecta necessaria Iunii emendatione „artificiis" codicis lectionem „sacrificiis" recepit.

2) In codice Agobardino c. 5 extr. uerba „sed haec satis erunt ad originis de idololatria reatum" sequitur inscriptio DE TITULIS, quasi uero hoc demum loco desierit Suetonius de origine ludorum loqui. Deceptus est librarius uocibus „ad o r i g i n i s de idololatria reatum" et „formam originis de t i t u l i s huius quoque temporis". Etenim Consualia Ecurria ludi Tarpei cet. non minus tituli ludorum sunt, quam Megalenses Apollinares q. s. atque ita se rem habere indicant me iudice etiam uerba: „accedit . . . posteritas, formam originis de titulis h u i u s q u o q u e t e m p o r i s praeferens". Itaque verba „nihil iam de causa uocabuli, dum rei causa idololatria sit" incipiunt nouam de titulis ludorum particulam et verba „sed haec satis erunt ad originis de idololatria reatum" ad unius aetatis regum spectant titulos.

3) Sic enim cum Buechelero scribendum est, quamquam et codex Agob. et is, qui Tertulliani locum repetiit, Isidorus orig. XVIII 16 — consentiunt enim in hac lectione, ut Iosephus Klein, uir humanissimus, me docuit, codices uetustissimi Weissenb. 64. Monac. lat. 6250. Sangerm. 13028 — exhibent aduerbium „promiscue". Nam ne primis quidem temporibus omnes ludi Liberalia uocati sunt, sed in Graecia — agitur enim de ludis Graecis — soli ludi scaenici et sine dubio notio „primo" illo loco desideratur. Coniecturam probare uidentur Seruius ad Georg. II 381 (primi ludi theatrales ex Liberalibus nati sunt) et Sinnius Ca-

ludi Liberalia uocarentur, honorem Liberi patris manifeste sonabant. Libero enim a rusticis primo fiebant ob beneficium, quod ei adscribunt demonstrata gratia uini". Liberalia uero hoc loco nominata propterea non possunt esse Romana, quia haec spectaculis carebant neque Suetonius, ut par est, ullos festos recensuit praeter eos, qui cum aliquo spectaculorum genere erant coniuncti. Intellegenda igitur sunt Dionysia Attica, quae saepenumero a Romanis Liberalia uocata sunt (cf. etiam Marquardtii enchir. III p. 348, 2). Praeterea dicit Cassiodorius uar. III 51, ubi Suetonianam repetere uidetur doctrinam (cf. Reiff. p. 336, 464): „primus enim hoc apud Elidem Asiae (legendum „Achaiae") ciuitatem Oenomaus fertur edidisse, quod postea Romulus in raptu Sabinarum . . . ostentauit Italiae". Sunt fortasse, qui his cum uerbis pugnare putent locum Tertulliani i. e. Suetonii c. 9: „sed et Primus Erichthonius currus et quattuor ausus Iungere equos rapidusque rotis insistere uictor (Verg. Georg. III 113) . . . . .; si uero Trochilus Argiuus auctor est currus, primae Iunoni id opus suum dedicauit". Sed locus ipse, ut multi alii, docet Suetonium complures unius rei aut explicationes aut origines enumerare neque unam ceteris praeferre solitum esse. Sine dubio igitur etiam illam Oenomai inuentionem narrauerat, quippe quae omnium esset notissima. Sed utut res se habet, certe Erichthonii et Trochili exempla de Graeciae ludis sumpta sunt neque minus id, quod Isidorus orig. XVIII 35 de Clisthene refert: „iugo primus Clisthenes Sicyonius tantum medios iugauit eosque singulos ex utraque parte simplici uinculo applicuit, quos Graeci σειραφόρους, Latini funarios uocant, a genere uinculi quo prius alligabantur".

Sed Suetonius in libro de Romanorum spectaculis non solum Graecorum res ludicras leuiter perstrinxit, uerum etiam aliquam partem eius populi ludorum eadem uerborum copia tractauit atque ludos Romanos. Etenim postquam de utriusque generis ludorum apparatibus locis aedificiis disseruit, ad agones i. e. spectacula gymnica uenit [1]), quae quamquam iam altero a. C. n. saeculo

---

pito apud Lactant. diu. inst. VI 20 (et primitus quidem uenationes quaeque uocantur munera Saturno sunt adtributa, ludi autem scaenici Libero, circenses uero Neptuno); cf. etiam Tertull. d. spect. c. 10. Ego ipse antequam praeceptoris sagacissimi cognoui mutationem leniorem, „primi scaenici" scriptum fuisse putabam.

1) Nam aut fallor aut musicos agones Suetonius omisit; Tertullianus enim saepissime stadii et athletarum facit mentionem, sed nunquam, ubi de agonibus est sermo, citharoedorum aut auloedorum aut

Romae ludis circensibus spectata [1]) tamen proprio tempore proprioque loco Caesaris et imperatorum demum aetate edita sunt. Haec uero non tam Romana, quam Graeca sunt itaque Suetonius, qui uniuscuiusque spectaculorum generis titulos ut enarraret sibi proposuerat, hoc loco singula Graecorum certamina gymnica Olympiis Isthmiis Nemeis ceteris ludis edita Tertulliano teste (c. 11) memorauit [2]).

Ex ea re, quod Suetonius de ludis utriusque generis loquens usque ad Graecorum ludos ascendit, nemo opinor non concludet non potuisse Suetonium in eiusdem libri parte priore de isdem disserere rebus. Sed consideranti locum de Graecorum agonibus a Romanis receptis omnis euanescet dubitatio de fide Suidae testantis illum de solis Romanorum spectaculis et certaminibus, in quorum numero scriptoris aetate etiam agones erant, scripsisse librum. Atque etiam numerum librorum recte Suidas mihi uidetur rettulisse. Nam quattuor illa spectaculorum genera diuisa sunt in partes duas, quarum priore ludi utriusque generis, qui antiquitus Romae spectabantur et liberae reipublicae temporibus soli publice edebantur [3]), altera cetera spectacula agonum et munerum continebantur. Quodsi uel ob hanc causam idoneum uidebatur duas partes duobus distribuere libris, id ea re, quod Suetonius originem titulosque utriusque generis ludorum uno loco tractauit,

---

similium artificum. Collegium artium Musicarum et Minerualium et Apollinarium (c. 11), quod eodem modo, quo ad circum, etiam ad stadium pertinere Tertulliani uerba indicare uidentur, nihil aliud fecisse opinor, nisi ut athletis pugnantibus cantaret fidibus tibiis tubis. Praeterea nescio an c. 11 de Pythiis, quorum maior pars ex certaminibus musicis constabat, ob hanc ipsam causam tacuerit. Isidorus quidem l. c. c. 26 inter agonum genera etiam certamen de cantandi modulatione memorat, sed hoc loco complures res congerit, quae cum agonibus nihil habent commune, uelut „terrestris belli et naualis proelii perpetiendorumque suppliciorum certamina", ita ut mihi sit persuasum caput totum, cuius pars prior nihil aliud narrat nisi c. 18, non ex Suetonio sumptum esse.

1) M. Fuluius Nobilior primus athletas a. 186 edidit (Liu. XXXIX 22); cf. etiam Friedlaenderi „Sittengeschichte Roms" II[3] p. 459 sqq.

2) Cf. etiam Isidori uerba c. 17: „quare ex consilii decreto tunc archon Hippomenes, ut nudi deinceps omnes exercitarentur, permisit".

3) Cf. imprimis Cic. d. legg. II 38: „iam ludi publici quoniam sunt cauea circoque diuisi, sit corporum certationi cursu et pugillatione curriculisque equorum . . . . circus constitutus, cauea cantu uoce ac fidibus et tibiis".

paene necessarium factum est. Sed aut fallor aut adest adhuc testimonium, quo docemur re uera in eodem primo libro praeter ludos circenses etiam scaenicos esse tractatos. Gellius enim dicit IX 7: „sed de fidibus rarius dictu et mirabilius est; quam rem et alii docti uiri et Suetonius etiam Tranquillus in libro ludicrae historiae primo satis compertam esse satisque super ea constare adfirmat: neruias in fidibus brumali die alias digitis pelli, alias sonare“, quem locum Reifferscheid ad eam ludicrae historiae pertinere censuit partem, qua actum esset de Graecorum agonibus musicis. Sed cum totam illius uiri de Suetonii libro coniecturam falsam esse demonstrasse mihi uidear et physica illa obseruatio eodem opinor iure ibi possit proferri, ubi de ludis scaenicis eorumque singulis instrumentis agitur [1]), neque ad res aut circenses aut agonales aut gladiatorias spectet, manifestum est Suetonium in altera primi libri parte de ludis scaenicis esse locutum. Tamen una superest difficultas; affert enim Gellius non priorem librum, sed primum, etsi Suidas duos tantum libros dicit, neque ueri simile est coniuncta spectacula stadii et arenae plus spatii tenuisse, quam ludos utriusque generis. Sed Gellius non uocem „primum“ olim, uerum numerum I scripsit, quem librarii, quot libros de ludis scripsisset Suetonius, ignorantes falso explicauerunt.

Reifferscheid et Isidorum orig. XVIII 16—59 et Cassiodorium uar. III 51 maximam partem sequi Suetonii historiam ludicram statuit; quae coniectura quamquam plane certis firmisque argumentis non nititur, nemini non placuit. Sed eodem iure commentatorem Iuuenalis libro Suetonii usum esse contendi potest. Saepissime res ludicras perstringit satirarum poeta, saepissime hos locos cum sua [2]) tum aliorum usus doctrina explicat commentator.

---

1) De citharis in scaena adhibitis cf. Cic. l. c. et Isidor. orig. XVIII 47: „themelici autem erant musici scenici, qui in organis et lyris (fortasse „tibiis“ olim scriptum erat) et citharis praecinebant“; cf. etiam Momms. Röm. Gesch. I 6 p. 226 not.

2) Velut in notis ad VI 588 (de circi spina), VIII 53 (de circi hermis). — Plane praetermittendae sunt, ut par est, παραφράσεις, uelut ad VI 387.

Atque primum quidem inspicias uelim scholia ad III 158:

> pinnirapos autem dicit lanistas ex habitu gladiatorum, quia post mortem retiarii pinnam i. e. manicam rapit, ut ostendat populo se uicisse, ut Lucilius (lib. III 105 Lachm.): „cum septem incolumis pinnis redit ac recipit se“ [1]),

et 175:

> exodiarius apud ueteres in fine ludorum intrabat, quia ridiculus foret, ut quicquid lacrimarum atque tristitiae conlexissent ex tragicis affectibus, huiusce spectaculi risus detergeret; huius et Lucilius meminit: (1068 sq. Lachm.) „principio exitus dignus | exodiumque sequetur“.

Quoniam mos ille exodii in fine ludorum spectandi, id quod ipsa uerba „apud ueteres“ indicant, commentatoris aetate iam non extabat, repeti hoc loco uetustioris scriptoris doctrinam apparet; neque minus probabile est grammaticum, quamquam eius aetate gladiatorum munera nondum erant extincta, ne prius quidem scholium de suo finxisse, praesertim cum Lucilii satirae tum iam non legerentur.

Simile fiet iudicium de eis scholiis, quibus de origine etymoque Quinquatrium et Floralium agitur, ad X 115:

> Quinquatria] aut quod intra quinque atria fit ⟨aut⟩ atria abundat; nam dies quinque in uno festi,

et VI 250, quocum congruit Lactantius inst. diu. I, 20, 10:

schol.[2]) Florali tuba] tuba, qua committuntur ludi Florales, in quibus	Lactant. Flora cum magnas opes ex arte meretricia quaesiuisset, populum scripsit heredem certamque pecuniam reliquit, cuius ex annuo fenore suus natalis dies celebraretur

---

1) Hoc scholion, quamuis quid sibi uelit manifestum sit, misere est turbatum; antecedunt enim in utroque codice, Pithoeano et Sangallensi, uersum Lucilii uerba: „aut ideo pinnirapos, quia pinnas in galeis habebant“, quae nihil aliud esse nisi dittographiam uerborum eiusdem scholii „pinnis pauonum ornari solent gladiatores, si quando ad pompam (lege „pugnam“) descendunt“, luce est clarius; certe non tenent suum locum, quia Lucilii uersus spectat ad ea uerba, quae antecedunt. Praeterea uerbis „pinnam id est manicam“ non inest ullus sensus; nescio an possit scribi „pinnam manibus“. Postremo cum retiario et galea et pinna desint, „retiarii“ pro primo pluralis numeri casu habendum et „rapiunt, ut ostendant“ scribendum et uerbis „post mortem“ genetiuus „aduersarii“ adiciendus esse uidetur.

2) Antecedunt uerba „meretrices nam Floralibus ludis armis certabant gladiatoriis atque pugnabant“, quibus circumscriptio uerborum poetae continetur.

meretrices nudatis corporibus per uarias artes ludendi discurrunt. nam a Flora meretrice instituti sunt in honorem Florae deae, quae floribus praeest.

editione ludorum, quos appellant Floralia. quod quia senatui flagitiosum uidebatur, ab ipso nomine argumentum sumi placuit, ut pudendae rei quaedam dignitas adderetur. Deam finxerunt esse, quae floribus praesit eamque oportere placari, ut fruges cum arboribus aut uitibus bene prospereque florescerent . . . .; celebrantur ergo illi ludi cum omni lasciuia conuenienter memoriae meretricis. nam praeter uerborum licentiam, quibus obscaenitas omnis effunditur, exuuntur etiam uestibus populo flagitante meretrices, quae tunc mimarum funguntur officio et in conspectu populi usque ad satietatem impudicorum luminum cum pudendis motibus detinentur.

Scholiastes quidem ut solet [1]) narrationem ita contraxit, ut nonnulla uerba velut „a Flora meretrice instituti sunt in honorem Florae deae" parum clare proferantur et comparato demum Lactantii loco uberiore intellegantur [2]).

Dixi antea commentatoris aetate i. e. exeunte saeculo quarto

---

1) Hac in re non consentio cum Matthia, qui in dissertatione de Iuuenalis scholiis (Halae 1875 p. 8 sq.) talia non tam primi commentatoris, quam librarii neglegentiae uindicauit. Cuius rei grauissimum extat exemplum in scholio ad XIV 91, ubi Suetonius Claud. 28 excriptus est, sed ita, ut ea, quae a Suetonio de tribus libertis Posside Felice Harpocra narrantur, uni Possidae adtribuantur. Matthias Felicis Harpocraeque nomina omissa esse a librario putat, sed nulla erat causa, cur de his quoque uiris ageretur, quoniam Iuuenalis de uno Posside loquitur. Itaque apparet 'grammaticum ipsum aut neglegentia aut exaggerandi libidine motum Suetonii locum immutasse. Neque uero aliter se res habet in scholio ad X 330, ubi ea ipsa narratio, quam Suetonius Claud. 29 ut falsam fictamque reiecit, Suetonianis uerbis expressa ac sine ulla dubitatione prolata legitur, aut in scholio ad X 93, ubi ipsius Suetonii nomine appellato de Caprea insula narratur, quod ille (Aug. 98) de insula Capreae uicina dixit.

2) Reifferscheid p. 351 sq. refert utrumque locum ad Suetonii librum de claris meretricibus. De Lactantio concedo, quia ab eo aliae quoque clarae meretrices illic memorantur. Sed scholiastam ueri similius mihi esse uidetur eodem libro, quem ceteris ad res ludicras pertinentibus locis sequitur, usum esse. Nam consentaneum est Suetonium mirificam illam narrationem de Floralibus, si adhibuit in libro de claris meretricibus, adhibuisse etiam in libro de historia ludicra atque eo quidem modo, ut inter alias memoraret complures, sicut ei mos erat.

gladiatorum certamina nondum fuisse abolita. Itaque primo aspectu dubium esse uidetur, utrum ea, quae de sica totaque Thraecum armatura tradit ad VIII 201:

per falcem supinam armatura Thracum intellegenda est, quibus proprium telum sica est,

de suo [1]) an ex antiquiore sumpserit scriptore. Tamen aut fallor aut certa extant indicia, quibus commentatorem non nouisse armaturas gladiatorias nisi secutorum et retiariorum fit ueri simile. Atque primum quidem nonne mirum est scholiastam ad VI 108 Sergiolum, quia galea adtritus esset, pro secutore habuisse, quamquam etiam Thraeces murmillones equites oplomachi galeis instructi erant? Deinde ex ea re, quod sat. VI 255 sq. mulier „balteum et manicas crurisque sinistri dimidium tegimen" uendit sc. ut aduersarii partes suscipiat [2]), concludit scholiasta retiarii eam emisse arma, etsi non solum secutoris contra retiarium pugnantis illa arma sunt, sed etiam, ut infra uidebimus, oplomachi. Tum ad uerbum „manicas" adnotat: „quas reciarii aut secutores habent" [3]), quasi uero ceteris desint gladiatoribus, atque simili modo in explicatione uocis „pinnirapus" ad III 158 retiarii tantum eiusque aduersarii facit mentionem. Postremo de retiarii armis optime nos facit certiores ad VIII 208, de quo loco uide infra [4]). Quae

1) Commentatoris ipsius haec mihi esse uidentur de rebus gladiatoriis scholia: ad VI 113 (rudem, ut solent in amfiteatro accipere gladiatores) 247 (de palo pugnantium habitu gladiatorum) 257 (retia, manicae et gladiatorum strumenta [uerba corrupta sic legenda sunt: „balteus et manicae et cristae cet: gladiatorum instrumenta sunt"; uocabulum „retia" propter antecedens „retiarii" inrepsit]) 261 (monstratos] a campi doctore) ad VIII 207 (quidam uestem gladiatoriam dicunt, quam fibula pugnaturis mordet a faucibus . . . . .; id studii habebant, qui munera edebant, ut extremas partes tunicae ad guttur ⟨auro⟩ ornarent, quo famam haberent) ad XI 8 (i. e. se auctoraturus) 20 (miscellanea] genus miserabile ferculi. cibus gladiatorum i. e. ultima cena. ideo miscellanea, quia omnia, quae apponuntur eis, miscent et sic manducant).

2) Sic enim sine dubio etsi falso interpretatur scholiasta.

3) In codd. falsum lemma est „ocreas"; nam secutor, ut infra uidebimus, unam tantum, retiarius uero nullam habet ocream.

4) Conferendus esse uidetur commentator Cruquianus in Horat. sat. II, 6, 44: „Thrax Gallina fuit secutor, Syrus autem retiarius, uterque gladiator". Sed consideranti cetera scholia non dubium esse potest, quin illa uerba corrupta sint ex his: „Thrax inter gladiatores dicebatur ⟨ut⟩ secutor, retiarius, mirmillo. Gallina proprium nomen gladiatoris, item Syrus".

cum ita sint, facere non possum, quin scholiastae cetera genera gladiatorum ignota fuisse atque uerba illa de Thraecum sica sumpta esse aliunde concludam [1]).

Postremo schol. ad XI 202:

quia antiquitus solebant mulieres cum uiris omnibus interesse spectaculis indifferenter

optimam redolet doctrinam; cf. etiam Huebnerum ann. inst. arch. 1856 p. 61.

Habemus igitur haud ita paruam de rebus ludicris scholiorum seriem, quae uetustiori deberi libro certis opinor causis demonstrauimus. Dico „libro", quia commentatorem Iuuenalis non multos euoluisse et excerpsisse libros mihi est persuasum atque omnibus persuadebitur, qui eius adnotationes perlegerint. Iam si quaeritur, quinam fuerit hic liber, nemo non cogitabit de ludicra historia Suetonii, cuius opera omnibus eius aetatis uiris doctis erant in manibus et ab ipso quoque commentatore, ut nonnullis locis manifestum est, adhibita sunt; cf. p. 9, 1; schol. ad IV 38, Probi qui dicitur schol. ad III 74 = Sueton fr. 49 Rff. Male factum est, quod nusquam illis ad ludos pertinentibus locis Suetonii nomen affertur, ut eorum fontem re uera historiam ludicram esse nequeam pronuntiare confidentius. Sed tamen superest scholium ad III 178:

orchestra spatium, in quo saltat pantomimus [2]),

quod saltem is, qui de Isidoro cum Reifferscheidio consentit, Suetonio uindicabit. Scimus orchestrae uoce aut eum theatri locum significari, ubi senatores spectent, aut eum, qui sit inter senatorum sedes et scaenae pulpitum [3]). Itaque primo aspectu Barth et Schurtzfleisch suo iure scholion mutasse uideantur. Sed eadem

---

1) Scimus Suetonium etiam singula gladiatorum arma tractasse; de ipsa sica docet Isidorus orig. XVIII, 6. 8 = Suet. fr. 195 Rff.: „Tranquillus autem dicit: cum cuiusdam gladiatoris in ludum emissi gladius curuatus fuisset ex acie recta, procucurrit unus ad id corrigendum tumque a pugnante responsum est: sic pugnabo. inde sicae nomen datum est".

2) Cf. etiam schol. ad VII 47: orchestra] spatium in theatro dicitur, quod pantomimo saltanti uacat.

3) Hic prodire solebant mimi emboliarii; cf. Fest. p. 326: „solebant his prodire mimi in orchestra, dum in scaena actus fabulae componerentur, cum gestibus obscaenis" et Suetonium apud Diomed p. 490, 6 ed. Keil. (= Sueton. p. 14, 18 sqq. Reiff.): „(mimi planipedes dicti) quod olim non in suggestu scaenae, sed in plano orchestrae positis instrumentis mimicis actitabant". Cf. Momms. Röm. Gesch. III[6] 590,

memoria inuenitur etiam in Isidori originibus XVIII 43: „scena autem erat locus infra theatrum in modum domus instructa cum pulpito, qui pulpitus orcistra uocabatur, ubi cantabant comici tragici atque saltabant istriones et mimi“ et 44: „orcistra autem pulpitus erat scenae ubi saltator agere posset aut duo inter se disputare“ cet. Itaque aut utrumque aut neutrum scriptorem Suetonio usum esse concludendum uidetur.

Monendum est praeterea solitum esse Suetonium cum aliorum auctorum tum poetarum utriusque gentis afferre uerba, quorum auctoritate sua dicta confirmaret. Sic in historia ludicra Stesichorus Vergilius (cf. Tertull. d. sp. c. 9) Horatius (sat. I, 7, 20; cf. Suet. fr. 196 Rff.) allati erant, Lucilius uero certe in libro de uiris illustribus (Rff. p. 7 et 21), ita ut aliquo iure utrumque illum uersum Lucilii a Suetonio ad scholiastam peruenisse mihi uidear contendere.

Iam uero licet conicere etiam alia scholia ad res ludicras spectantia, de quorum origine antea non potuit iudicari, ex eodem Suetonii libro manasse. In eorum numero est scholion ad VIII 200:

> mirmillo armaturae Gallicae nomen ex pisce inditum, cuius imago in galea fingitur

de armatura Gallica, quae tribus fere ante saeculis, ut infra demonstrabimus, iam erat extincta. Sunt fortasse quibus ex Festo ipso sumptum esse uideatur, qui p. 285 M. (murmillonicum genus armaturae Gallicum est ipsique murmillones ante Galli appellabantur, in quorum galeis piscis effigies inerat[1]) plane eadem dicit, neque illos manifestis argumentis possum refellere. Tamen cum alibi quod sciam Iuuenalis commentator Festo non sit usus neque, ut iam dixi, multos auctores compilasse uideatur, aliter de illo loco iudicandum erit. Equidem Festi locum referendum esse puto ad Sinnii Capitonis librum de spectaculis, quem a Verrio Flacco aliis locis (p. 177, 326, 364) usurpartum esse scimus (cf. Mart. Hertzii de Sinnio p. 18 sqq.). Eundem uero Sinnium, qui primus de arenae quoque spectaculis scripsisse uidetur[2]), (cf. Lactant. VI 20)

1) Secuntur apud Festum haec uerba: „hoc autem genus pugnae institutum uidetur a Pittaco, uno ex septem sapientibus, qui adversus Phrynonem dimicaturus propter controuersias finium, quae erant inter Atticos et Mytilenaeos rete occulte lato impediuit Phrynonem“.

2) Nam Varro, cuius temporibus munera nondum priuatam amiserant naturam, quamquam sine dubio eorum passim fecit mentionem, tamen uberius de eis in antiquitatum libris non egit. Merkelii sententia (cf. Ouid. fast. praef. p. CLXI), qui putat in eodem IX libro et de ludis circensibus et de muneribus eum esse locutum, falsissima est.

ab Suetonio (cf. Reiff. p. 464)[1], Suetonium a Iuuenalis scholiasta excriptum esse existimauerim. Praeterea etsi certo non licet iudicari ad Suetonium fortasse referenda sunt scholia haec: ad II 53 (colyphia] athletarum cibum dicit) ad III 263: (strigula autem est, quod xystram dicunt, unde oleum deteritur) ad VI 421 (cum lassata graui ceciderunt bracchia massa] halteras dicit, quibus utuntur athletae cum exercentur) ad VII 243 (ut in theatro solent petere quinque aureos; nam non licebat amplius dare), ad VIII 190 (triscurria] III scurras fabulas agentes [sic emendauit Iahn]) ad VIII 226 (quia apud Isthmios agones uictores apio coronantur) 229 (syrma] uestis tragica; cf. ad XV 30: syrmata] uestes tragicas) ad XI 193, 195 (hoc ideo [?] quia Megalesiaci circenses ante solem prope edebantur. quoniam circensibus illis, quos praetores edunt, unus est missus, qui ordinarius [„ordearius“ Pithoeus] dicitur. ideo „praeda caballorum“, quia ordeum pro illo die aurigae tollunt equorum; aut ideo „praeda“ dixit, quoniam multi equi frangebantur [lege „fere agebantur“] in iisdem circensibus). — Schol. ad I 3 (togatae sunt comoediae Latinae, quales Afranius fecit, palliatae Graecae [sic enim legendum est]) fortasse ex Suetonii libro de uiris illustribus (cf. Rff. p. 13 sqq.) depromptum est.

Caput II.

DE GLADIATORUM ARMATURIS.

Quaestio de gladiatorum armaturis etsi cum ab aliis uiris tum paucis ante annis tertium a Friedländero in appendice libri, qui „Sittengeschichte Roms“ inscribitur, tractata est, omnium ad historiam gladiaturae pertinentium dignissima mihi esse uidetur, in qua denuo opera navetur. — Iustus Lipsius, qui in „Saturnalium sermonum libris duobus qui de gladiatoribus“ primus uberius de Romanorum gladiatura egit, in hac re propterea saepissime errauit,

1) Sine dubio Lactantius VI 20 non ipsum Sinnium, qui post Suetonii historiam ludicram non legebatur, sed more illorum scriptorum simulata ueterum ac reconditorum librorum scientia Suetonium, qui Sinnii uerba adtulerat, excripsit.

quod monumentis non poterat uti, quae ad illustranda et scriptorum et titulorum testimonia necessaria sunt; tamen omnes fere locos scriptorum, qui huc spectant, summa congessit diligentia. Post Lipsium Guilelmus Henzen in dissertatione de musiuo burghesiano (Dissertazioni della pontif. acad. Rom. di archeolog. XII [1852] p. 73 sqq.) quaestionem instaurauit atque monumentis nouisque titulis allatis res sagaciter aggressus multum profecit. Tertius Ludouicus Friedlaender errorum, qui Henzeni commentationi insunt, non multos correxit, sed ea imprimis re bene de armaturis gladiatorum intellegendis meritus est, quod haud ita pauca testimonia non ante prolata inuestigauit et adiecit. Laudandi sunt etiam Itali uiri docti Garrucci Mineruini alii, qui titulos graphio inscriptos et monumenta Pompeis reperta [1]) simul cum commentatiunculis diligenter scriptis publicauerunt. Praeterea multi uiri docti indocti de hac re egerunt, quos longum est enumerare, praesertim cum parum profecerint. — Ego ipse, cum duos annos abhinc in armaturas gladiatorum inciperem inquirere, eis tantum monumentis potui uti, quae Friedländer memorat; postea musea Berolinense Cassellanum Wisibadense Mogontiacum Coloniense Bonnensia Treuericum et collectiones Herstattii Wolffii Merkensii Coloniensium adii et multa inspexi monumenta inedita; praeterea Otto Benndorf et Robertus Schneider summa cum liberalitate haud pauca monumenta Austriaca mecum communicauerunt.

§ 1. De Samnitibus [2]).

Cf. Lips. II c. 11, Henz. p. 107 sq., Friedl. p. 516 sq.

Vetustissimum gladiatorum genus est Samniticum; etenim iam a Campanis, qui odio atque ira Samnitium deuictorum moti horum armis gladiatores induerunt ac nomine compellarunt, inuentum (cf. Liu. IX 40), tum a Romanis simul cum tota re gladiatoria receptum est [3]). Inter scriptores Romanos primus Lucilius

1) Liceat mihi hoc loco monere et titulos et monumenta Pompeiana cum ob alias res tum ideo in nostra quaestione plurimum ualere, quod sexaginta primis annis saec. p. C. n. primi facta sunt (cf. Nissenii Pompejan. Stud. p. 126, 254 sq) i. e. quod certo tempori possunt adtribui.

2) Forma „Samnes", quam exhibet titulus Murat. p. 1751, 4, inter gladiatores legitima fuisse uidetur; cf. Rh. Mus. XXXVI 241 extr.

3) Id ita factum esse alio loco demonstrabo.

eos memorat (lib. IV 136 Lach.: „Aeserninus fuit Flaccorum munere quidam | Samnis, spurcus homo, uita illa dignus locoque“ et 1008 L.: „quamuis bonus ipse | Samnis in ludo ac rudibus cuiuis satis asper“), tum Varro (d. ling. Lat. V 142: „[moeri] summa pinnae ab his, quas insigniti milites habere in galeis solent et in gladiatoribus Samnites“ et apud Plinium nat. hist. VII 81: „corpore uesco, sed eximiis uiribus Tributanum in gladiatorio ludo, Samnitium armatura celebrem, filiumque . . ., auctor est Varro in prodigiosa uirium elatione“) et Cicero (pro Sest. 134: „[Vatinius] cum vero ne de uenalibus quidem homines electos, sed ex ergastulis emptos nominibus gladiatoriis ornarit et sortito alios Samnites alios prouocatores fecerit“ et d. orat. II 325: „atque eiusmodi illa prolusio debet esse, non ut Samnitium, qui uibrant hastas ante pugnam, quibus in pugnando nihil utuntur“), postremus Horatius (epist. II, 2, 97: „caedimur et totidem plagis consumimus hostem | lento Samnites ad lumina prima duello“). Praeterea in duobus inueniuntur titulis [1]): Murat. p. 1751, 4 (Telephus Samnes natione Thraex) IRN 737 = Wilm. exempl. 2604 a (Sam. Strabo Don. III Ɔ III), quem titulum Wilmanns suo iure propter bina ingenuorum nomina incipienti imperatorum aetati ascribit. Post Augusti tempora Samnites neque in titulis neque in libris inueniuntur. Miror hanc rem iam a Lipsio indicatam neque Henzeno neque Friedlaendero, quorum uterque etiam eos gladiatores Samniticis armis tectos, qui in monumentis secundi uel tertii uel quarti saeculi delineati sunt, pro ueris Samnitibus habet, ullum excitasse scrupulum. Friedlaender rem omnino non tetigit, Henzen uero sequentia tantum Lipsii uerba: „Samnes abiisse uidetur in hoplomachum“ titulo adlato IRN 737, ubi et Samnes et oplomachus inueniuntur, aggreditur. Tamen sic non explicatur, qui factum sit, ut neque Iuuenalis, qui plerosque melioris notae armaturas memorat, neque Artemidorus in indiculo gladiatorum (onir. II 32) neque titulus CIL VI 631, in quo saltem septem genera inueniuntur, neque ullus alius aut scriptor aut titulus Samnites memoraret gladiatores.

Sed mittamus interim, ad quod mox reuertendum nobis est, atque inspiciamus singula Samnitium arma, de quibus Liuius IX, 40, 2 haec narrat: „(Samnitium) forma erat scuti: summum latius,

---

1) Suo iure Henzen etiam gemmam, in qua galea gladiatoria et litterae σαμ pictae sunt (mus. burgh. tab. VII 5) ad illam armaturam refert (p. 108).

qua pectus atque umeri teguntur, fastigio aequali, ad imum cuneatior mobilitatis causa; spongia pectori tegumentum et sinistrum crus ocrea tectum; galeae cristatae, quae speciem magnitudini adderent; tunicae auratis militibus uersicolores, argentatis linteae candidae". Quae arma cum Samnitium non sint gladiatorum, sed militum, non est mirum, si plane eadem in monumentis frustra quaeruntur; exhibentur tamen in his ea, quae maximi sunt momenti. Atque primum quidem sinistri cruris ocrea permulti induti sunt gladiatores depicti; eidem uero magnum habent scutum, cuius forma si res minusculas respicis neque in omnibus monumentis sibi constat neque plane congruit cum ea, quae a Liuio describitur; cf. imprimis scuta gladiatorum monumenti Scauri (Mazois ruines de Pompée I tab. 32) et picturarum Pompeianarum (ibid. IV tab. 48; Garrucci graffiti tab. X 2). Haec paruula diuersitas armorum non mirifica est, praesertim cum in aliis armaturis multo maiora imprimis scutorum inueniantur discrimina. Maxime uero ocrea illa sinistri cruris gladiatores Samnites a ceteris distinguuntur; hi enim, ut infra videbimus, aut plane carent ocreis aut binas habent. Tamen non pauca extant monumenta gladiatorum [1]), qui quamquam etiam dextra crura habent tecta, pro Samnitibus habendi sunt. Id enim tegumentum, quippe quod in fronte cruris corrigiis ligatum sit, non ocrea est, ut Zangemeister (CIL IV p. 72) putat, sed caliga, qua etiam ceterorum generum gladiatores depicti passim induti sunt [2]). Praeterea sae-

1) mon. Scauri, pict. Pompeian. ll. cc., anagl. Pomp. (Bull. Napol. IV [1846] tab. 1), monum. Batonis (Fabretti col. Traian. p. 258).

2) Recte animaduertit Henzen p. 109: „ocreas modo e metallo modo e corio constitisse"; tamen aut fallor aut multo saepius ocreis e corio factis instructi sunt gladiatores armaturae Samniticae depicti. Ceterum etiam milites Romani aetate liberae reipublicae una tantum utebantur ocrea; cf. Arrian. tact. c. 3: ἡ ὡς Ῥωμαίοις κνημὶς μία πρὸ τῆς κνήμης τῆς ἐν ταῖς μάχαις προβαλλομένης et Polyb. VI, 23, 8, qui hastatorum arma describens dicit: πρὸς δὲ τούτοις ὑσσοὶ δύο καὶ περικεφαλαία χαλκῆ καὶ προκνημίς. Sed Vegetius I 20 = p. 22, 13 Lang. dextra crura ocreis tecta fuisse narrat, cuius rei affert causam dicens p. 23, 13: „sciendum praeterea, cum missilibus agitur, sinistros pedes inante milites habere debere . . .; sed cum ad pila, ut appellant, uenitur et manu ad manum cum gladiis pugnatur, tunc dextros pedes inante milites habere debent". Quae num uera sint, propterea dubito, quod gladiatores Samnitici generis, qui semper fere comminus pugnant, sinistra crura ocreis tegunt. De Sabinorum ocrea sinistra cf. Silii VIII 418 sqq. Ceterum confer etiam Macrobii sat. V, 18, 13 sqq., ubi quaeritur, utrum Aetoli Hernicique in dextris an in sinistris pedibus habuerint caligas.

penumero etiam fasciis circumligata sunt crura genuaque et Samnitium et aliorum gladiatorum.

Aliud uero tegimentum, quod Liuius Samnitibus ascribit, spongiae pectori applicatae (i. e. genus aliquod loricarum [1])), frustra requiruntur in gladiatorum monumentis, cuius rei est apertissima causa: nimirum fieri non potuit, ut omnes corporis partes tegerentur, quoniam una saltem pars, quam maxime aduersarius gladio aggrederetur, nuda esse debuit. Etiam in certaminibus commilitonum nostrorum certae corporis partes, caput facies praeter oculos summum pectus, nudae sunt ad accipiendas aduersarii plagas neque aliter in gladiatorum pugnis factum est. Tamen unum imprimis inter haec certaminum genera interest, quo fit, ut non eaedem corporis partes in gladiatoribus atque in commilitonibus remaneant intectae. Etenim hodierni gladiatores ut ita dicam non eo consilio componuntur, ut inter se interficiant, sed eo, ut uulnerent; tum uero gladiatores de uita certare solebant. Hanc ob rem hodie omnes eae partes corporis teguntur, quibus laesis uita pugnantium in periculum uocatur, uelut collum oculi tempora; sed tum nudabatur praeter ceteras partes pectus. Ita factum est, ut nullius fere gladiatorum armaturae lorica aut thorax esset inter arma legitima [2]).

Sed cum gladiatores pectus denudatum haberent, opus erat proprio uestimento obscaenas corporis partes tegi atque uelari; quam ob rem omnes fere omnium generum gladiatores subligaculum habent, quod balteo sustentatur [3]). — Praeterea omnibus gladiatoribus communes erant manicae Samnitibus militibus item ignotae, quibus id bracchium tegebatur, quod maxime ad plagas aduersarii expositum erat [4]).

---

1) Cf. Weissenb. ad h. l.; coniecturam Lipsii spongias non fuisse diuersas a balteis suo iure reiecit Henzen p. 132 not. 85.

2) Tamen inuenitur passim pectus non plane tegimento carens, uelut gladiatoris in anaglypho Berolinensi expressi; unius autem gladiatoris (in anagl. Pomp. bull. Napolit. l. c.) totum pectus tegimentum aliquod habet in aegidis formam redactum. Sed legitimum id non uidetur fuisse, cum alibi non extet. — Hoc loco occasio datur monendi, ne quis putet omnia in armaturis ita stata fuisse, ut exceptio non daretur; cf. etiam Friedl. p. 518 extr.

3) Balteus in nonnullis monumentis (cf. Rev. arch. IX [1852] tab. 183, 1 cet.) usque ad pectus pertinet.

4) De manicarum formis confer Henz. p. 108 sq. Ne manus quidem tegimento carebat; cf. Thraeces et oplomachum in picturis Pom-

„Galeae cristatae, quae speciem magnitudini corporum adderent“, et militibus et gladiatoribus Samniticis erant; cf. Iuuenal. sat. VI 256, ubi inter arma Samnitica — dicit enim „crurisque sinistri dimidium tegimen“ — cristae memorantur. Sed monumenta docent Thraeces quoque eis esse usos. Similiter etiam galeae pinnis ornatae, quas Varro de ling. lat. V 142 (cf. p. 15) Samnitibus tribuit, ab aliis generibus receptae sunt; ceterum confer de pinnis schol. ad Iuuen. III 158 p. 8 allatum. De propria galeae Samniticae forma uide infra et Henz. p. 108.

Sed tunicis, de quibus Liuius loquitur, omnes fere gladiatores Samnitici carent. Equidem excepta tertia figura tunicata uitri a Froehnero publicati (la verrerie antique tab. 21, 92), de cuius armatura certum iudicium non habeo, duos tantum noui Samnites tunicatos: Pampineum in musiuo burghesiano (Henz. tab. III) et gladiatorem in lucerna Treuerica (5004 P. M.) depictum. Praeter unum murmillonum genus, de quo infra uideas, omnino nullum tunica legitime usum esse uidetur. Loquitur quidem Suetonius Calig. 30 de retiariis tunicatis et Iuuenalis dicit sat. VIII 207 sq. de Graccho auctorato: „credamus tunicae, de faucibus aurea cum se | porrigat?“, quae uerba scholio altero (quidam uestem gladiatoriam dicunt, quam fibula pugnaturis mordet a faucibus . . .; id studii habebant, qui munera edebant, ut extremas partes tunicae ad guttur ⟨auro⟩ ornarent, quo famam haberent) recte ad uestitum gladiatorium referuntur. Sed inter plurimos retiarios depictos duo tantum tunica uestiti esse uidentur; cf. Winkelm. monum. inedit. p. 198 (musiuum Massimii) et antich. di Ercolano VIII tab. 12 = bull. Napol. n. s. I tab. VII 10 (cf. Venuti-Borioni collect. antiqu. Rom. tab. 94 p. 67). Tamen haec monumenta adeo non accurate sunt reddita, ut fides eorum formis non sit habenda. Praeterea in urna Etrusca (Conestabile, monum. di Perugia tab. 62, 2) gladiator Thraex tunicam habet. Ceterum par est tunicatos gladiatores habuisse balteos, subligaculis caruisse. —

Veniamus nunc ad eam gladiatorum armaturam, de qua omnes uiri docti miro modo errauerunt, i. e. ad secutores.

---

peianis (Mazois IV tab. 48, 1. 2; horum tegimentum manus non est pars manicae, sed gladii) gladiatores monumenti Scauri (Maz. I tab. 32) Thraecem M. Antonium Exochum (Fabretti col. Trai. p. 256) retiarios complures (Rev. arch. V [1848] p. 563, VIII [1851] tab. 169, bull. Napolit. n. s. I tab. VII 11, Henz. mus. burgh. tab. III) ceteros gladiatores.

§ 2. De secutoribus.

Cf. Lips. II c. 7, Henz. p. 115, Friedl. p. 515 sq.

Lipsius et Friedlaender secutores iam Ciceronis aetate extitisse putant nisi Ciceronis uerbis ad Attic. VII, 14, 2: „secutorum in ludo (Caesaris Capuae) IOↃ fuerunt“. Sed „secutorum“ pro codicis lectione „scutorum“ e coniectura scripsit Victorius, quam Corradius[1]) suo iure reiecit, quod secutores praeterea a Cicerone non memorarentur neque intellegi posset, cur unius tantum gladiatorum generis fieret mentio. Tamen in ea re errauit, quod illo uocabulo non tam gladiatorum, quam ipsorum scutorum certus ei uidebatur indicari numerus. Narrat enim Cicero Pompeium Caesaris gladiatores binos singulis familiarum patribus distribuisse, ne eruptionem, quam facturi fuisse dicerentur, reuera facerent. Qua in causa uix puto Attici intererat scire, quot scuta in illo ludo fuissent. Immo gladiatorum numerus Ciceroni erat memorandus, ut Atticus intellegeret, quantum fuisset periculum a Pompeio euitatum. Itaque, sicut Graeci uerbis ὅπλον (cf. Kruegeri notam ad Xen. Anab. II, 2, 4) et ἀσπίς (cf. Xen. An. I, 7, 10, Herod. V 30, Soph. El. 36 cum Nauckii nota) eos significant, qui ὅπλον siue ἀσπίδα ferunt, sicut et nos et ipsi Romani (cf. Drakenb. ad Liu. XXI, 27, 5) pro equitibus dicimus equos: sic Cicero uoce „scutum“ indicat gladiatores, quippe qui omnes fere scutis utantur. Neque ulla est causa, cur secutores iam Ciceronis aetate pugnasse credamus; ne in titulis quidem Venusinis IRN 736, 737 incipientis imperatorum aetatis, ubi omnium fere armaturarum memorantur gladiatores, secutoris fit mentio. Primus de eis loquitur Suetonius Calig. 30, post eum permulti alii scriptores, uelut Iuuenalis Artemidorus Dio Isidorus ceteri.

Hi omnes sunt testes secutores cum retiariis pugnasse, id quod iam Lipsius animaduertit[2]). Erit fortasse qui uel ob hanc rem ueterum de secutoribus sententiam falsam esse suspicetur; nam si illi recte iudicauerunt, nonne mirum tibi uidetur, quamquam saepe pugna secutoris et retiarii apud scriptores memoretur, tamen in omnibus monumentis, ubi retiarius pugnans descriptus est[3]),

---

1) Corradium editores nouissimi Boot et Baiter secuti sunt.

2) Cum nusquam secutorem etiam cum aliis gladiatoribus compositum esse tradatur, non recte Friedlaender in anaglypho Pompeiano (bull. Napol. IV 1) secutorem cum Samnite pugnantem descriptum esse existimat.

3) Excipienda sunt ut par est ea, quae retiarii pugnam cum murmillone exhibent.

eius aduersarium esse non secutorem, sed Samnitem, cuius post Augusti aetatem nulla fiat mentio?

Omnibus uiris doctis erat notum inter secutoris arma fuisse galeam gladium scutum. Eius rei testes sunt Dio LXXII, 19, 2 (*καὶ ἐχρῆτο [Κόμμοδος] τῇ ὁπλίσει τῇ τοῦ σεκούτωρος καλουμένου τὴν μὲν ἀσπίδα ἐν τῇ δεξιᾷ, τὸ δὲ ξίφος τὸ ξύλινον ἐν τῇ ἀριστερᾷ ἔχων*) ibid. § 4 (*οὓς ... ἐφίλει ὥσπερ εἶχε διὰ τοῦ κράνους*) schol. Iuuen. VI 108 (cf. p. 10) Lamprid. Commod. c. 16, 7 [1]) (galea eius bis per portam Libitinensem elata est). Henzen uero allato imprimis monumento secutoris Vrbici (cf. Murat. p. 617, 1), in quo „gladiator extat gladium mouens et clypeum ac lorica ut uidetur quadam indutus, ocreis tamen, quibus inter insequendum impediri poterat, carens“ [2]), (cf. etiam Friedlaenderum p. 515) leuiora fuisse secutoris arma putabat et aduersarios retiariorum in musiuo Winkelmanni delineatos pro secutoribus habebat. Sed secutoribus non posse tribui arma leuiora docet nisi fallor locus Artemidori, qui onirocrit. II 32 dicit: *εἰ δὲ σεκούτωρι (πυκτεύοι τις) εὔμορφον μὲν λήψεται γυναῖκα καὶ πλουσίαν, μέγα δὲ φρονοῦσαν ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ καὶ διὰ τοῦτο καταφρονοῦσαν τοῦ ἀνδρὸς καὶ κακῶν πολλῶν αἰτίαν ἐσομένην· ἀεὶ γὰρ διώκει.* Cur Artemidorus secutoris imagine mulierem diuitem ob eamque rem superbam indicari putauerit, apparet comparatis eius uerbis antecedentibus, ubi de Thraece loquitur: *οἷον εἰ μὲν Θρᾳκὶ πυκτεύοι τις, λήψεται γυναῖκα πλουσίαν ⟨καὶ⟩ πανοῦργον καὶ φιλόπρωτον· πλουσίαν μὲν διὰ τὸ κατεσκεπάσθαι τοῖς ὅπλοις* i. e. quod Thraex multis grauibusque ornatus est armis. Itaque etiam secutor eis armaturis attribuendus est, quae grauioribus utebantur armis. — Iam uero Friedlaender consulendus est,

1) Fugit uiros doctos etiam Prudentium secutori galeam attribuere dicentem c. Symm. II 1110 sq.: „spectant aeratam faciem, quam crebra tridenti | impacto quatiant hastilia“. Tridens est retiarii, qui secutorem aggreditur.

2) Praeter Vrbici formam etiam lucerna Kircheriana et musiuum Winkelmanni Henzeno secutores ocreis caruisse demonstrare uidebantur. Sed lucernae fictiles, quarum ego magnum uidi numerum, saepissime res minutiores habent parum accurate expressas; neque uero accuratius musiuum, ut mihi quidem persuasum est, a Bartolio, quem et Winkelmann et Caylus (recueil de peintures) secuntur, delineatum est, ita ut, ubicumque a ceteris monumentis discedit, eo non bene uti possimus. Ceterum meo quoque iudicio in musiuo secutores picti sunt. Sed Henzen, cum duos monumenti Scauriani gladiatores, VII et VIII, qui eiusdem sunt generis et inter se pugnant, pro secutoribus habebat, ob causam supra indicatam errauit.

qui praeclarum Philogelotis (87 ed. Eberh.) hoc de secutore testimonium attulit: σχολαστικὸς ἐπὶ τῆς οἰκίας σεκούτωρος σχῆμα λαβὼν ἔπαιζεν· ἄφνω δέ τινος ἀπαγγείλαντος αὐτῷ τὴν παρουσίαν τοῦ πατρὸς ῥίψας τὸ ὅπλον ἔλυε τὴν κνημῖδα· φθάσαντος δὲ τοῦ πατρὸς αὐτῷ ἐπιστῆναι ἔχων τὴν περικεφαλαίαν βιβλίον ἀνεγίνωσκε[1]). Vnde ille concludi voluit secutorem praeter galeam gladium scutum etiam ocreis esse usum hanc sententiam confirmari ratus imprimis illo Vrbici secutoris monumento, quod Cauedoni in recensione Henzenianae dissertationis de musiuo burghesiano (bullett. dell. instit. archeol. 1846 p. 190) accurate descripsisset. Philogelos uero non de ocreis, sed de una ocrea loquitur; dicit enim: ἔλυε τὴν κνημῖδα. Iam uerum perlucet. Sed omnis dubitatio euanescet, si Cauedonii descriptionem illius monumenti accuratius perlegerimus. Dicit enim haec fere: „descriptio armaturae Vrbici secutoris, quam Henzen confisus Muratorii testimonio fecerat, non satis accurata est. Vrbicus uestitus est „esomide“ — i. e. sine dubio „subligaculo“ — cincta largo balteo; sinistrum crus tuetur ocrea, dextra manus sublata gladium destrictum, sinistra scutum conuexum in modum aluei tenet; palo prope gladiatorem in terram immisso galea Samnitica sustinetur.“ Haec uero ad unum omnia arma sunt Samnitica[2]). Res est simplicissima. Nimirum nomen Samnitium

---

1) Testatur igitur etiam Philogelos secutorem habuisse scutum et galeam.

2) Praetermisi adhuc Isidori non plane integrum de secutoribus testimonium; is enim dicit orig. XVIII 55: „secutor ab insequendo retiarium dictus; gestabat enim cuspidem et massam plumbeam, quae aduersarii iaculum impediret, ut, antequam ille feriret reti, ipse exsuperaret“. „Cuspis“ dicta mihi esse uidetur pro gladio; cf. c. 54: „ut adversarium (i. e. secutorem) cuspide insistentem“ — nam sic pro „insistente“ scribendum est — „operiret (sc. reti)“. Itaque Leemansii coniectura (Rev. arch. IX [1852] p. 80) „cassidem“ pro „cuspidem“ scribentis non opus mihi esse uidetur. Sed uerba „massam plumbeam“ sine dubio corrupta sunt. Si secutoris arma, de quibus testimonia optima sunt, perlustro, nullum aliud inuenire possum tegimentum, quod „aduersarii iaculum impediret“, nisi scutum, quod tam magnum est, ut, si bene iaculo opponitur, reuera prohibere possit, quominus secutoris caput ceteraeque corporis partes illo implicentur. Quodsi res ita se habet, cum Leemansio scribendum est „magnum clipeum“. Tamen hanc lectionem non tam Isidoro ipsi, quam eius fonti uindicauerim; nam non solum codices aetatis posterioris, sed etiam tres uetustissimi supra memorati ita in lectione „massam plumbeam“ consentiunt, ut non dubium sit, quin Isidorus ipse ita scripserit.

euanuit[1]), remansit eorum armatura, inditum autem est nomen secutoribus; atque id factum est inter Augusti — nouit enim Horatius Samnites — et Caligulae aetatem, cuius sub imperio teste Suetonio c. 30 retiarii tunicati quinque cum totidem secutoribus pugnauerunt.

Sed ne secutoris quidem nomen plane caruit mutatione; extat enim titulus CIL VI 631, ubi praeter Thraeces oplomachos essedarios murmillones prouocatores retiarios sex nominantur gladiatores, quorum nominibus ascriptum est >RET. Littera C uersa cum aliae res significantur tum praepositio „contra"; praeterea in titulo Henz. 6174 = Wilm. 2616 legitur: „fec. Longinas lib. contrarete fratri b. m." Apparet igitur etiam in illo titulo >RET hoc modo esse explicandum. Latere sub hoc nomine secutorum genus inde perspicitur, quod secutores in illo titulo desunt atque ea aetate — nominantur in titulo consules a. C. 177 — retiarii, ut infra uidebimus, cum secutoribus tantum componebantur[2]). Tamen haec mutatio nec diu nec multis locis uim habuisse uidetur, quoniam scriptores aeque posteriores ac priores secutorum semper utuntur nomine[3]). Ceterum et scriptores exeuntis saeculi IV, uelut Prudentius (cf. p. 20,1) atque imprimis schol. Iuuenalis (cf. p. 10), et monumenta illius aetatis, uelut musiua burghesianum (de Rossi bull. di arch. crist. V 87) Nennigense (Wilmowsky, d. röm. Villa zu Nennig) Winkelmanni, secutores et retiarios usque ad extrema gladiaturae tempora floruisse nos docent.

§ 3. De oplomachis[4]).

Cf. Lips. II c. 11, Henz. p. 109 sq., Friedlaend. p. 519.

Lipsius dicens: „(Samnitis) nomen uidetur abiisse in hoploma-

---

1) Samnitium nomen iam non placuisse uidetur, ne gladiatores nomine Samnitium i. e. ciuium Romanorum appellarentur; ob eandem causam Gallorum nomen periisse uidetur.

2) Rectam explicationem inuenit Mommsen; cf. notam ad CIL VI 631.

3) Friedlaender cum alibi tum hoc loco rem, quae semel accidit aut paruae fuit auctoritatis, parum caute auget vel extendit, quasi numquam non extiterit; cf. eius uerba: „(Die Secutores scheinen) besonders Contrarete genannt worden zu sein".

4) Sic scribunt omnes tituli (IRN 737, CIL II 1739, IV 2508) excepto titulo a. 177 CIL VI 631; in Sueton. Calig. 35 contra librorum

chum", etsi sententiam suam argumentis non confirmauit, recte de hoc genere diuinauit. Henzen uero paullum a ueritate aberrauit deceptus illo titulo Venusino IRN 737, qui et oplomachum et Samnitem exhibet; nam oplomachum non eundem quidem atque Samnitem fuisse, sed Samniti simillimum putauit; attribuit ei praeter galeam et scutum loricam et amborum crurum tegimina e corio facta. At falsa de oplomacho protulit Friedlaender p. 519 dicens: „Die hoplomachi müssen vollständig gerüstet gewesen sein, also ausser den Beinschienen der Thracier noch einen Brustharnisch gehabt haben, aber jedenfalls waren sie den Thraciern ähnlicher, als den Samniten, mit denen sie Lipsius und Henzen zusammengestellt haben". — Oplomachum grauibus usum esse armis ob eamque rem periculosum fuisse aduersarium et ex ipso nomine colligitur et ex Sueton. Calig. 35, ubi Colosseros Thraeci et oplomacho, ut periculosissimis gladiatoribus, oppositus esse narratur. Friedlaender autem Martial. VIII 74: „oplomachus nunc es, fueras ophthalmicus ante. | Fecisti medicus, quod facis oplomachus" non aliter explicari posse putat ac si existimemus oplomachos inter se pugnasse et propterea utrumque aduersarii oculos petiisse, quod omnes ceterae corporis partes armis obtectae fuissent. Atqui de pugna oplomachi cum oplomacho commissa nihil traditur; deinde aut fallor aut talis gladiatorum pugna, qualem Friedlaender inter oplomachos fuisse contendit, plane inaudita est, quoniam uix potest fieri in acri pugna, oculi ut gladiis petantur. Sed quocunque modo de his causis iudicabitur, dubium esse nequit, quin ille locus, si omnino de aliqua armatura ex eo potest concludi, certiores nos faciat de aduersario oplomachi, cuius oculi petantur, non de ipso oplomacho. Praeterea Martialis uerba explicanda esse opinor hoc modo: „et nunc, cum sis oplomachus i. e. gladiator, et olim, cum ophthalmicus eras, homines luce et salute priuasti". Itaque quoniam ex Martialis uersibus armatura oplomachi non perspicitur, ad alia testimonia confugiamus necesse est. Vidimus illam grauiorem plerisque aliis fuisse; iam si monumentorum permagnum numerum perlustramus, praeter Thraeces unum tantum inuenimus gladiatorum genus, cuius grauiora sint arma: Samniticum. Neque omnes huius generis gladiatores depicti cum retiariis pugnant,

---

lectionem „aplomacho" i. e. „oplomacho" Sabellicus scripsit „hoplomacho"; item „oplomachis" exhibent optimi codices Montepessulanus et Parisinus in Senec. contr. excerpt. III praef. 10; fluctuant codices in Martial. VIII 74.

qua re etiam praeter secutores gladiatores armaturae Samniticae extitisse putandum est; hoc autem genus semper cum Thraecibus compositum est[1]) in monumentis. Quaeritur, quonam hoc genus praeditum fuerit nomine. Samnitium nomen post Augusti aetatem non fuit in usu; si omnia cetera perlustraueris, nullum inuenies, quod in eiusmodi Samnites quadret, nisi oplomachi nomen. Neque ueri simile est nullo loco scriptorum siue titulorum memorari id genus gladiatorum, quo nullum aliud saepius in monumentis expressum est; nomen uero propter ὅπλον i. e. scutum Samniticum receptum esse uidetur.

Quae coniectura ea re confirmatur, quod oplomachi reuera cum Thraecibus pugnauerunt; in titulo enim Pompeiano CIL IV 2508 scriptum est:

O(plomachus) T(hraex)
V(icit) Cycnus Iul(ianus) VIIII (pugnarum)
M(issus est) Atticus <Iu>l(ianus) XIV (pugnarum).

Praeterea opponuntur oplomachi et Thraeces a Seneca contr. III praef. 10: „quidam cum oplomachis, quidam cum Thraecibus optime pugnant et quidam sic cum scaeua componi cupiunt, quomodo alii timent"[2]); cf. etiam Sueton. Calig. 35. — Iam uide, quam facile probata mea de oplomacho sententia ea res possit explicari, quod in Artemidori gladiatorum indice oplomachum frustra quaeris; etenim, quod attinet ad arma, idem erat oplomachus atque secutor, de quo loquitur scriptor, ita ut unum Samnitium genus memorasse satis esset. Henzeni uero sententia, qui, cum in titulo Venusino IRN 737 et oplomachus et Samnes inueniantur, oplomachum non e Samnite ortum esse contra Lipsium contendit, facile refutatur; illo enim titulo docemur primum Thraecum aduersarios desiise nominari Samnites, deinde retiariorum; oplomachi igitur nomen prima imperatorum aetate, secutoris paullo post ortum est.

Ceterum oplomachus in titulo Pompeiano supra scripto etiam cum murmillone et dimachaero compositus est. Sed nescimus, num hae compositiones fuerint legitimae.

Postquam secutoris et oplomachi arma fuisse Samnitica de-

---

1) Idem testatur M. Antoninus de rebus suis I 5 dicens: *παρὰ τοῦ τροφέως τὸ μήτε πρασιανὸς μήτε βενετιανὸς μήτε παρμουλάριος ἢ σκουτάριος γενέσθαι.* Opponuntur enim hic, qui parmae i. e. Thraecibus et qui scuto i. e. Samnitibus fauent.

2) Sic scripsit Buecheler in ind. Bonnens. mens. aest. 1877 p. 12.

monstrauimus, relicum est, ut statuamus, quid inter haec duo genera interfuerit. Primum ea re inter se distinguntur, quod aduersarii non eidem sunt: secutores enim cum solis retiariis pugnant, oplomachi imprimis cum Thraecibus. Ita fit, ut eorum artes pugnandi inter se quam diuersissimae sint. Nam quantum interest inter Thraecis et retiarii arma! Ille obtectus est magni ponderis armis, hic nec galea nec ocreis nec scuto utitur; ille sica, hic tridente aggreditur. Sed consideranti mihi monumenta altera quoque diuersitas extitisse uidetur. In eis enim uterque quidem gladiator magno scuto gladio ocrea cruris sinistri armatus, sed galea non eiusdem formae est secutori atque oplomacho. Hic habet permagnam, crista siue pinnis ornatam et clausam margine ferreo circum totam galeam currente atque oculos ceruicemque tegente; cf. imprimis picturam Pomp. Maz. IV tab. 48, 2. Secutor uero tectus est galea accurate ad capitis formam accommodata atque etiam collum ceruicemque supremam tegente, quae margine caret; cf. musiuum Bignorense (Archaeologia XVIII p. 203) monumentum Batonis (Fabretti col. Trai. p. 258) picturas Pompp. (Garrucci graff. X 2, XII 1) cet. Cur hoc genus peculiarem galeae formam habuerit, facile perspicitur. Etenim si altera illa usi essent forma, fieri necesse erat, ut maculae retis, quo retiarius corpus aduersarii studebat opprimere, si minus feliciter iactum retiarius colligere uellet, margine galeae impedirentur et retinerentur atque ob eam causam ille rete, optimum suum telum, cogeretur deserere.

§ 4. De retiariis.

Cf. Lips. II c. 8, Henz. p. 113 sq., Friedl. p. 512 sqq.

Transeamus nunc ad secutoris aduersarium: ad retiarium. Quae armatura quo tempore orta sit, plane ignoramus; Festus et Polyaenus[1]) inepte narrant a Pittaco inuentam esse, qui complu-

1) Fest. p. 285 M: „hoc autem genus pugnae (sc. retiarii et murmillonis) institutum uidetur a Pittaco, uno ex septem sapientibus, qui aduersus Phrynonem dimicaturus propter controuersias finium, quae erant inter Atticos et Mytilenaeos rete occulte lato impediuit Phrynonem“. Polyaen. strat. I 25: *Πιτταχὸς χαὶ Φρύνων ἐμονομάχουν Σιγείου πέρι· ἔδοξεν ἀμφοῖν ἴσα ἔχειν ὅπλα. Τὰ μὲν δὴ φανερὰ ὅπλα ἴσα ἦν. Πιτταχὸς δὲ ὑπὸ τῇ ἀσπίδι χρύψας ἀμφίβληστρον περιβάλλει τὸν Φρύνωνα χαὶ ῥαδίως ἐπισπασάμενος χτιννύει χαὶ Σίγειον τοῖς Λεσβίοις τῷ λίνῳ ἐθήρευσεν. Οἷον χαὶ νῦν οἱ μονομαχοῦντες λίνον ἔχουσι, Πιτταχὸς ἐδίδαξεν.*

ribus scriptoribus testibus — cf. Welck. Alte Denkmäler II 332 — in certamine singulari Phrynonem reti subito coniecto impeditum necauit. Primum memorantur retiarii in duobus titulis Venusinis IRN 736, 737; in posterioris temporis et titulis et libris saepenumero eorum fit mentio; durasse uero sicut secutores usque ad ultima gladiaturae tempora iam supra demonstrauimus.

Nomen retiarii a reti ductum est, quo hunc gladiatorem usum esse praeter Festum et Polyaenum testes sunt Iuuenalis sat. VIII 203 sqq.: „mouet ecce tridentem, | postquam uibrata pendentia retia dextra | nequiquam effudit“ et Isidorus orig. XVIII 54: „retiarius ab armaturae genere in gladiatorio ludo contra alterum pugnantem ferebat occulte rete, quod iaculum appellatur, ut aduersarium cuspide insistentem operiret implicitumque uiribus superaret; quae armatura pugnabat Neptuno tridentis causa“. Veteres duobus imprimis utebantur retium generibus, quae saepe inter se opponuntur; dicit Ouidius art. am. I 763 sq.: „hic iaculo pisces, illa capiuntur ab hamis; | hos caua contento retia fune trahunt“ et Vergilius Georg. I 141 sq.: „atque alius latum funda iam uerberat amnem[1]), alta petens pelagoque alius trahit umida lina“; adnotat Seruius: „alta petens] nonnulli „a. p.“ ad maris piscationem applicant, ut prima pars „f. i. u. a.“ fluminis piscatio uideatur, „a. p. p. a. t. u. l“ de mari dixerit. Trahit umida lina] euerriculum[2]) significat et „trahit“ rete, quia hoc genus retis „tragum“[3]) uocatur“. Euerriculo igitur utebantur in medio mari, sed altero genere, quod Ouidius uoce „iaculum“, Vergilius uoce „funda“ significat[4]), non videntur nisi in amnibus uel lacubus aut in litore usi esse; cf. praeter Seruium imprimis Plaut. Trucul. I, 1, 14: „quasi in piscinam rete qui iaculum parat“ et Hesiod. scut. 213 sqq.: αὐτὰρ ἐπ' ἀκταῖς (τοῦ λιμένος) | ἧστο ἀνὴρ ἁλιεὺς δεδοκημένος· εἶχε δὲ χερσὶν | ἰχθύσιν ἀμφίβληστρον ἀπορρίψοντι ἐοικώς. Verbis uero Plauti Asin. I, 1, 100: „uenari autem rete iaculo in medio mari“[5])

1) Cf. Isidor. orig. XIX, 5, 1: „(funda) etiam a iactando iaculum dicitur“.

2) Cf. etiam Nonium p. 34 M.

3) I. e. „Schlepp-, Zugnetz“, quod hodieque non solum in mari, sed etiam in maioribus fluuiis adhibetur.

4) Plautus ll. cc. habet „rete iaculum“. Iaculum in gloss. Labb. uertitur ἀμφίβληστρον, euerriculum et tragum σαγήνη. Plane fugit Friedlaenderum, cum hunc uocis iaculi usum miretur p. 512, cum fuisse legitimum.

5) Versum corruptum cum Hermanno sic exhibent Goetz et Loewe: „reti autem iaculo uenari in medio mari“.

ne quis male utatur, „in medio mari" dicitur, ut spectatoribus dilucide demonstretur, quam inepta sit Demaeneti postulatio. Quomodo tali reti utantur piscatores, optime explicat Plautus Trucul. l. c.: „quasi in piscinam rete qui iaculum parat: | quando abiit rete pessum, adducit lineam; | si inierit rete piscis, ne effugiat cauet. | Dum huc illuc rete circumuortit, impedit | piscis usque adeo, donicum eduxit foras." [1]); cf. etiam Leemansium Rev. arch. IX (1852) p. 84.

Alterum retiarii telum est tridens s. fuscina, quam praeter Iuuenalem et Isidorum ll. cc. testatur Sueton. Calig. 30: „cum (quinque retiarii a quinque secutoribus uicti) occidi iuberentur, unus resumpta fuscina omnes uictores interemit"; cf. etiam Martial. V, 24, 12, ubi uerbis: „aequoreo minax tridente" retiarius indicatur [2]). Haec duo tela a piscatoribus deprompta esse, quamquam res Friedlaendero non certa uidetur et retiarii depicti semper fere tridentem, sicut uenatores hastam, utraque manu gestant [3]), nemo me iudice ibit infitias, praesertim cum ueteres ipsi ad unum omnes eandem habuerint sententiam; cf. Friedl. p. 514. Tertium retiarii telum erat pugio, quem testatur solus Valerius Maximus I, 7, 8: „retiarius . . . . . traiectum gladio Haterium interemit"; sed saepissime in monumentis inuenimus.

Iam ad ea transeamus arma, quibus retiarius tegebatur. Habebat, ut ceteri gladiatores, subligaculum balteum manicam; tamen manica non dextro, sed sinistro applicata erat bracchio, quod retiarius ita gestabat tridentem, ut id bracchium maxime ad ictus aduersarii esset expositum. Crura saepenumero in monumentis fasciis circumligata sunt. Praeterea uero peculiari utebantur tegimento, de quo eodem fere tempore et Henzen et Garrucci (bull. Napolit. n. s. I p. 103) recte iudicauerunt. Dicit enim Iuuenalis sat. VIII 207: „credamus tunicae de faucibus aurea cum se | porrigat et longo iactetur spira galero". Non solum uetustiores

1) Lectiones „inierit" et „dum huc illuc rete circumuortit" debentur uiro hoc loco non nominando.

2) Singulari fuscinae forma utitur retiarius depictus Rev. arch. VIII (1851) tab. 169, quae, quia incurva est, comparari potest cum Thraecis sica.

3) Vnus retiarius in anaglypho mali oculi expressus (Archaeologiae XIX p. 70; Berichte d. Sächs. Ges. d. Wissensch. 1855 tab. III 1) in piscatorum modum fuscina ferit. Testimonia de uenatorum et piscatorum tridente congessit Wieseler in ind. schol. Gotting. hibern. a. 1872/3.

Iuuenalis interpretes, ut Heinrich, sed etiam, qui paucos abhinc annos cum commentario edidit poetam, Weidner hoc loco Saliorum indicari uestitum contendit arbitratus Gracchum gladiatorem et Gracchum Salium unam esse personam atque illum indutum uestibus earum, quas haberent Salii, similibus in arena pugnasse. Sed haec sententia plane est falsa; primum enim nullo uerbo poeta dicit duos Gracchos eandem esse personam; immo sunt qui gladiatorem Salii esse filium suo iure existiment, quod schol. ad sat. II 144 ait: „Gracchi filius habitu gladiatoris plerumque ad infamiam equabat“ [1]). Sed, quod est maximum, neglexerunt illi scholiastae uerba, quae hoc loco summi sunt momenti; dicit enim: „galerus est umero impositus gladiatoris“; iam inspicienda sunt monumenta, in quibus reuera retiarii umerus sinister tegimento aliquo oneratus est, quod gladiatores teste scholiasta galerum appellabant. Galerus e metallo factus supremo bracchio affixus et ala quadam instructus est, quae non solum umerum, sed etiam collum et caput tuetur; neque plane alienum est tale tegimentum ab aliis gentibus: uidemus enim equites medii aeui exeuntis eo uti utrumque umerum galero tegentes [2]).

Quam necessarium retiario illud tegimentum fuerit, hinc perspicitur, quod ei et galea et scutum deerat. De galea testes sunt Sueton. Claud. 34: „(Claudius) maxime retiarios (iugulari iubebat), ut expirantium facies uideret.“ et Iuuenalis sat. VIII 205 sq.: „(Gracchus retiarius) nudum ad spectacula uultum | erigit et tota fugit agnoscendus harena“. Consentiunt omnia monumenta, ex quibus ne in uno quidem caput retiarii aliud tegimentum habet atque

---

1) Hoc scholion sic propono esse legendum: „Gracchi filius; habitus gladiatoris plerumque infamiam adaequabat“ et referendum ad uers. 143. Ceterum, quod scholiasta ad u. 148 dicit: „quia et Gracchus minor pugnabat“, id propterea mihi non uidetur confirmare illam de Gracchi Salii filio sententiam, quod conlatis Probi qui dicitur uerbis: „Gracchus gladiator munere Neronis pugnauit“ apparet „minor“ ex „munere“ corruptum esse.

2) Galerum non habent retiarii hi picti: Rev. arch. VIII (1851) tab. 169, mus. burghes. Purpureus Astacius Talamonius Meleager Callimorfus. Musiui Winkelmanniani Kalendio retiarius in inferiore pictura habet aliquod tegimentum umero sinistro affixum et in effigie Cayli flauo colore indicatum, quod sine dubio galerus est; hic tamen deest in superiore. Sed dubito, num in ipso musiuo desit. De uariis formis galeri cf. imprimis galeros Pompeianos (bullett. Napol. n. s. I tab. VII 2–4) et galerum retiarii Nennigensis (Wilmowsky, Röm. Villa z. Nennig).

fascias, quibus Friedlaender Galeni uerbis nisus (de fasciis c. 32 XVIII a 797 Kühn): τὸ ἡμιρρόμβιον προςλαβὸν τὰ καλούμενα ὦτα οὕτως ὀνομάζεται · ἐπιδεῖται δ' ἤτοι εὐπρεπείας χάριν ἐν μονομαχίαις cet. suo iure cum alios gladiatores galea carentes tum retiarium usum esse contendit; eis enim instructus est is gladiator anaglyphi Pompeiani (bull. Nap. IV tab. I), qui propter galerum pro retiario habendus est[1]). Scuta uero retiariis defuisse cum monumenta testantur tum perspicuum fit ex ea re, quod fuscinam utraque manu tenebant[2]).

Pugnasse autem retiarios cum murmillonibus et secutoribus multi testantur scriptores[3]); liceat mihi hoc loco de posteriore tantum agere certamine. Consideranti et retiarii et secutoris armaturam fit manifestum illum in pugna eminus, hunc in pugna comminus facta maxime ualuisse. Nam retiarius, quoniam et scuto et ocreis et galea caret, quibus pede cum pede conlato opus est, id operam dat, ut inter se et adversarium longum intersit spatium, et eminus rete ita studet iacere, ut secutor eo oppressus, quominus scuto et gladio bene utatur, impediatur; secutoris arma si rete bene emisso desierunt esse periculosa, retiarius pugna uersa comminus fuscina et pugione impetum facit. Contra secutor nihil omnino emolumenti ex armis suis capere potest, nisi aduersarius proxime abest. Ita fit, ut retiarius semper fugiat et expectet, dum occasio sibi detur emittendi retis, secutor uero aduersarium sequatur eumque studeat cogere, ut comminus pugnet. Haec omnia optime illustrantur collatis duobus imprimis locis, Isidori orig. XVIII 54 (cf. p. 26), 55 (cf. p. 21, 2) et Artemidori onirocr. II 32: ἀεὶ γὰρ διώκει (σεκούτωρ) · εἰ δὲ ῥητιαρίῳ (πυκτεύοι τις), λήψεται γυναῖκα ἄπορον καὶ ἐρωτικὴν καὶ φυγάδα καὶ ῥᾷστα τῷ βουλομένῳ πλησιάζουσαν. — Cum initio certaminis inter aduersarios

---

1) Chabouillet Rev. arch. VIII (1851) p. 418 affert clipeum e terra sigillata factum et Nemausi repertum, in quo retiarius — aggreditur enim gladiator tridente — depictus sit, cuius caput pileus tegat. Dubito, num res ita se habeat.

2) His tegimentis addunt Lipsius et Henzen spongias moti uerbis Tertulliani his: (d. spect. c. 25) „poterit ergo et de misericordia moneri defixus in morsus ursorum et spongias retiariorum?“ Sed apparet „spongias“ non recte traditum esse, quippe quod nullo modo cum morsibus ursorum possit comparari; scriptum erat „pugnas“.

3) Quanam re motus Friedlaender inter retiarii aduersarios etiam Thraeces memoret, plane ignoro; locus Ciceronis ascriptus (or. Phil. 5, 20) nihil demonstrat.

maius intersit spatium, retiarium prius aggredi par est; itaque simulac propius ad secutorem accessit, dum sinistra manu fuscinam et pugionem tenet (cf. Gori inscript. III 99, Archaeolog. XVIII p. 203), dextra rete effundit. Quod si feliciter iactum est, retiarii res bene se habet; sed non saepe accidere, ut primo impetu feliciter iaciatur, in propatulo est, praesertim cum secutor haud difficulter rete coniectum possit euitare et sine dubio summa opus sit arte atque experientia ad rete bene emittendum. Iam quid fit reti minus dextre iacto? Quoniam periculosissimum id erat retiarii telum, secutor daret operam necesse erat, ut quam celerrime aduersarium, antequam denuo rete emittere posset, aggrederetur et armis suis, quibus eminus non licebat uti, opprimeret. Contra retiarii quam maxime intererat, ut reti recuperato iterum eminus adversarium peteret. Sed quoniam secutore persequente fieri non poterat, ut retiarius procurreret et sua ipse manu rete reciperet, quaeritur, quonam alio modo potuerit repetere. Atque id optime explicat locus Iuuenàlis iam saepe allatus et scholiastae adnotatio adhuc non satis intellecta. Dicit poeta VIII 207: „credamus tunicae de faucibus aurea cum se | porrigat et longo iactetur spira galero". De tunica et galero iam supra locutus sum; sed quid sibi uult spira? Quia scholia hoc loco ut uidimus summi sunt momenti, etiam in hac uoce explicanda ab eis exordiendum est; legimus enim sub lemmate „galero] pileo, quem habent retiarii. Galerus est umero impositus gladiatoris; huiusmodi aliquid, quo citius sparsum funem uel iactatam retiam colligat". Vidit Ferrarius uerba „huiusmodi" eqs. non cohaerere cum antecedentibus, sed adiecta esse ad explicandam uocem „spira"; haec uero a Festo p. 330 M. hoc modo explicatur: „spira dicitur et basis columnae unius tori aut duorum et genus operis pistorii et funis nauticus in orbem conuolutus, ab eadem omnes similitudine. Pacuuius: „quid cessatis, socii, eicere spiras sparteas[1])?" Supra significaui non potuisse fieri, ut retiarius rete iniquo Marte iactum procurrens recuperaret; itaque nullo alio modo me iudice id poterat colligi, nisi si fune aliquo gladiatori ipsi erat adfixum. Ita fugiens retiarius rete per arenam secum trahere et colligere poterat. Agedum considerate, quomodo nautae longiorem emittant funem, si nauem appellere uolunt: emittunt in orbes conuolutum; non aliter

---

1) Cf. etiam Isid. orig. XIX, 4, 2: „spirae funes, quibus in tempestatibus utuntur, quas nautici suo more cucurbas uocant; spirae autem ab sparto uocatae".

gladiatores funem cum reti poterant iacere. Talis uero funis Festo auctore appellabatur spira. Garrucci (bull. Napol. n. s. I p. 104) non ipsum funem retis pro spira habet, sed funiculum fuisse putat una parte cum galero, altera cum retis fune coniunctum, ita ut a galero circum pectus retiarii curreret[1]). Non male quidem hoc modo explicantur poetae uerba „spira iactetur longo (de) galero". Sed demonstrasse mihi uideor spiram ipsum funem fuisse; praeterea Garrucci, si eam lineam, quae in pectore retiarii apud Gorium inscr. III 99 descripti conspicitur, pro spira habet, propterea errat, quod saepissime non solum in retiariis, sed in aliis quoque gladiatoribus huiusmodi linea picta est, quae quid sibi uelit, optime perspicitur comparata Samnitis statua ab Henzeno tab. VII 1 publicata; nimirum eo consilio usurpatur ille funiculus, ut umeri tegimentum artius firmiusque umero alligetur; cf. etiam Rev. arch. V (1848) p. 562 sq., retiarios monum. Scauri, Henz. tab. VII 10, anagl. Pomp. figuram VI.

Restat, ut illud poetae: „longo iactetur galero" interpretemur. Habebat retiarius sinistra fuscinam et pugionem, dextra rete et spiram; cf. Iuuenal. sat. VIII 204: „uibrata pendentia retia dextra... effudit". Iam si quis rem rotundam, uelut circulum uel rete iaculum, ita uult emittere, ut in derectum uolante homo uel res circumcludatur, umero sinistro eam prius admoueat necesse est; huic uero umero alligatus est galerus, itaque optime Iuuenalis iactari spiram de longo galero dicit[2]).

Alligatam uero spiram fuisse censeo balteo retiarii, sed ita, ut facile esset, si propter secutoris celeriorem impetum rete iam non posset colligi, funem a balteo diuellere.

---

1) Non aliter interpretari possum Garruccii uerba l. c.: „sembra quindi que fosse una tal sorte di amentum (ἀγκύλη) che i reziarii portavano accanto al galero fermo e pendente da un capo. — Questa spira io ravviserei nella correggia che si parte dalla spalla sinistra del gladiatore al n. 12 della tav. VII (i. e. Gor. inscr. III 99) e gli passa attraverso dell petto congiungendosi di poi alla fune della rete, che egli sostiene nella destra". Itaque Friedlaender non recte illa uerba intellexit, cum dicat p. 513: „G. erklärt die spira wohl richtig für eine Schnur, die von der linken Schulter quer über Brust und Rücken nach der rechten Hüfte geht".

2) Quodsi mea uocis „spira" explicatio recta est, scholiastes parum accurate rem explicauit; etenim spira, quippe quae ipse funis retis sit, non esse potest, qua retiarius „sparsum funem uel iactatam retiam colligat".

Ceterum cum rete raro in monumentis inueniatur[1]), non possum non conicere retiarium eo non in omnibus certaminibus esse usum.

Retiarios in numero despectiorum gladiatorum fuisse Henzen p. 113 conclusit ex leuibus eorum armis; quae sententia nescio an alia quoque re confirmetur. Videmus enim in monumento Scauri prope ad quartum gladiatorum par duos exculptos retiarios, qui praeter pugionem et rete omnia arma legitima habent; sed neque pugnant neque eis, ut ceteris, nomina ascripta sunt[2]) neque eadem magnitudo corporum; alter uero eorum sinistra gladiatorem morientem ita comprehendit, ut neminem fore censeam, quin hunc a retiario in spoliarium tractum iri coniciat. Fungebantur igitur retiarii saltem in spectaculis N. Festi Ampliati, quae illo monumento repraesentantur, munere ministrorum harenae.

Sequitur, ut de alterius generis Samnitici, oplomachorum, aduersariis agamus legitimis:

§ 5. De Thraecibus[3]).

Cf. Lips. II c. 9, Henz. p. 112 sq., Friedl. p. 517 sq.

Ortum est id genus sine dubio simili modo atque Samniticum ea re, quod Thraces bello capti armis suis usi in arena pugnare coacti sunt. Factum id esse Perseo deuicto contendit Henzen; tamen certis quibusdam causis, de quibus alio loco mihi liceat

---

1) Friedlaender ob eam causam id factum esse existimat, quod rete non sine aliqua opera potuerit fingi et in initio certaminis a retiario complicatum fuerit; alteram causam iam Henzen indicauerat. Contra hanc sententiam dicendum est rete etiam in deterioribus monumentis, uelut in lucernis fictilibus, inueniri et retiarii, cum adversarius probe sciret illum habere rete, nihil interfuisse id occulte ferre.

2) Cum omnibus ibi gladiatoribus nomen a parte sinistra atramento ascriptum sit, nomen VEPIMVS · IVL · V ad oplomachum (fig. XI) spectat; neque unquam adfuisse retiariis nomina spatii angustiae docent.

3) In titulis aut „Thraex" (bull. d. inst. 1879 p. 47) aut „Threx" (CIL V 4511) aut omissa H „TR" (IRN 736, CIL IV 2444, 2508 Orell. 2576) scribitur. Simili modo ambigunt codices scriptorum. Antiqua forma fuisse uidetur „Thraex", posterior „Threx"; sed ubi de gladiatore agitur, „Thrax" forma, etiamsi in codd. inuenitur (cf. Suet. Calig. 54, Horat. sat. II, 6, 44), non recipienda esse uidetur; cf. etiam Lipsium l. c.

loqui, moueor, ut non ante Sullae aetatem nouum illud gladiatorum genus a Romanis creatum esse putem. Quae coniectura eo fit probabilior, quod etiam tum Mithridaticis bellis plurimi Thraces, qui in Mithridatae fuerant exercitu, a Romanis capti sunt; quacum re congruit, quod Plutarchus Crass. c. 8 de ludo Lentuli narrat: Λέντλου τινὸς Βατία μονομάχους ἐν Καπύῃ τρέφοντος, ὧν οἱ πολλοὶ Γαλάται καὶ Θρᾷκες ἦσαν[1]). Primus Cicero eos memorat or. Phil. VI 13, VII 17, de prou. cons. 9; postremus Ausonius technopaeg. p. 488 Toll. et schol. Iuuen. sat. VIII 201 (cf. p. 10).

Cum Lipsius Henzen Friedlaender de Thraecum armis bene egerint, perpauca mihi liceat adnotare:

1) Sicae in monumentis duplex est forma; aut enim incurua est aut ita formata, ut angulus oriatur. Sed cum in omnibus monumentis Pompeianis curua inueniatur, eam antiquiorem esse apparet.

2) Simili modo parma aut rotunda aut quadrata est; illa uero forma multo rarius expressa est, quam haec. In musiuo Remensi (cf. Loriquet, mosaiques de Rheims tab. 5) et uitro a Deuillio edito (cf. hist. d. l. verr. dans l'antiqu. tab. 49 A) parmam Thraex triangulam habet; sed ea forma soli artifici attribuenda esse uidetur.

3) In permultis monumentis pictos uidemus Thraeces, quorum non solum crura et genua ocreis, sed etiam femora aut fasciis circumligata aut bracis induta sunt; hoc modo tecti sunt in monumentis Pompeianis ad unum omnes Thraeces et in plerisque aliis. Atque cum praeter Thraeces solus secutor in anaglypho Berolinensi descriptus hoc tegimento instructus sit, id nulli alii generi nisi Thraecidico proprium fuisse uidetur, quamquam, ut in rebus gladiatoriis saepe factum est, etiam hic et ille alius generis gladiator eo usus est.

Iam quaeritur, quibusnam cum gladiatoribus componi solitus sit Thraex. De uno aduersario, oplomacho, supra dixi; sed pugnabat etiam cum murmillone; eius rei primus est testis Cicero ll. cc.; cf. etiam Sueton. Calig. 32, Domit. 10, Auson l. c.; in indice compositionum gladiatoriarum CIL IV 2508 septem paria memorantur, quorum alteri Thraeces, alteri murmillones sunt; cf.

---

1) Falsissima est Lipsii sententia Thraeces gladiatores a Perseo rege creatos eiusque imperio Romam missos esse; nam Liuius, quo illa nititur, non de Perseo rege, sed de Antiocho Epiphane loquitur; cf. Nissen, Quellen p. 241.

etiam ibid. 2387. Pugnauerunt uero etiam inter sese Thraeces; id non puto concludendum esse ex Senecae loco quaest. nat. IV praef. 8, ubi Lipsius scripsit: „te longiorem iurabo Fido Annaeo et Apollonio pycta, quamuis staturam habeas Threcis cum Threce compositi" — nam Friedlaender uidit pro „Threce" scribendum esse „nani" uel aliquid simile —, sed ex nonnullis lucernis: publicata mus. burghes. tab. VII 4, Berolinensibus 943, 5187 (?), Treuerica 750, in quibus pugna duorum Thraecum descripta est [1]).

Relicum est, ut de tribus loquar armaturis, quarum una Samniticae, ceterae Thraecidicae similes sunt; nam illa ob eam rem distinguenda est a Samnitibus uolgaris generis, quod pro gladio hastam habet; in monumento Scauri oplomachus tertii paris, qui genu dextro flexo, manu sinistra sublata missionem petit, non solum scutum, sed etiam hastam deposuit [2]) eodemque telo in pictura Pompeiana (Garrucci graff. XIII 2) gladiator, qui scutum habet Samniticum, utitur. Mirum est, quamquam in utroque monumento non lusoria pugna, sed decretoria depicta est, Ciceronem dicere de orat. II 325: „atque eiusmodi illa prolusio debet esse, non ut Samnitium, qui uibrant hastas ante pugnam, quibus in pugnando nihil utuntur."

Eadem uero hasta armati inueniuntur etiam Thraeces in picturis Pompeianis (Garrucc. l. c. tab. XI 2, XV 1) et in lucerna Lugudunensi (Comarmand, descript. des antiques de Lyon tab. IV n. 417 p. 74).

Altera autem generis Thraecidici armatura pro sica gladio utitur; tales gladiatores inueniuntur in duabus lucernis Treuericis (n. 750, 2978 P. M.) [3]) et in duobus fragmentis e terra sigillata factis, quae Antunnaci reperta in museo prouinciali Bonnensi seruantur [4]); cf. etiam Kekulé Pomp. Terrac. tab. 41; hi omnes praeter galeam cristatam habent binas magnas ocreas et parmam rotundam [5]).

---

1) Eis addenda est lucerna musei Moguntiaci, ubi nisi fallor arma duorum Thraecum picta sunt: bis binae ocreae gladius sica.

2) Hasta non propria est adversario, quod in huius manu, quippe qui oplomachum uictum interfecturus sit, sica supplenda est.

3) In altera iste gladiator aduersarium deuictum, qui Thraex mihi esse uidetur — eiusdem formae est Thraex lucernae Vindobonensis — interempturus est, in altera solus expressus est.

4) In altero is gladiator cum oplomacho pugnat, in altero figura adversarii deleta est.

5) His monumentis adicienda est lucerna not. 1 memorata; adicienda esse uidetur etiam pictura, quam Pacho in libro „voyage

§ 6. De Gallis et murmillonibus[1]).

Cf. Lips. II c. 10, Henz. p. 111 sq., Friedl. p. 516.

Galli, quos eodem modo atque Samnites et Thraeces ortos esse mihi persuasum est, duobus tantum locis inueniuntur: in altero titulo Venusino IRN 737 et apud Festum p. 285 M. (cf. p. 12). Sunt fortasse qui eo tempore, quo Caesar cum Gallis bellaret, hanc armaturam inuentam esse existiment; uerum sic satis mirum esset Gallicum nomen haud ita multo post euanuisse teste Festo. Immo praesertim cum in ludo Lentuli praeter Thraeces imprimis gentis Gallicae gladiatores fuisse Plutarchus Crass. c. 8 narret, iam Sullana aetate certa Gallorum armatura inter gladiatores extitisse uidetur. Quin Cato Maior nisi fallor eiusmodi gladiatores nouit; uidentur enim ab eo perstringi in oratione a. 184 in L. Quinctium consularem habita, de qua Liuius XXXIX, 42, 11 haec dicit[2]): „longe grauissima (orationum a Catone censore habitarum) in L. Quinctium oratio est . . .; inter cetera obiecit ei Philippum Poenum, carum ac nobile scortum, ab Roma in Galliam prouinciam spe ingentium donorum perductum. Eum puerum per lasciuiam cum cauillaretur, exprobrare consuli persaepe solitum, quod sub ipsum spectaculum gladiatorium abductus ab Roma esset, ut obsequium amatori iactaret. Forte epulantibus eis . . . nuntiatum . . . esse, nobilem Boium cum liberis transfugam uenisse . . . Inter cuius sermonem Quinctius scorto: uis tu, inquit, quoniam gladiatorium spectaculum reliquisti, iam hunc G a l l u m m o r i e n t e m

---

dans la Marmara et dans la Cyrenaique" tab. 53 edidit; nam hic quoque gladiator duabus ocreis instructus et cum oplomacho compositus gladium rectum habet; tamen dubito, num illi delineationi sit fides habenda. Ceterum is gladiator parmam habet quadratam.

1) Forma „murmillo" his locis inuenitur: IRN 737, Orell. 2580, Henz. 6174, 6175, 7419 c, CIL V 1907, VI 631, bullett. d. inst. 1865 p. 80, CIG 2889 (μουρμίλλων) Fest. p. 285 M, Valer. Max. I, 7, 8, Suet. Calig. 32. Etiam Fest. Paull. p. 144 M (myrmillonica scuta dicebant, cum quibus de muro pugnabant; erant siquidem ad hoc ipsum apta) scriptum fuisse „mur —" ipsum ueriloquium docet. „Mir —" scriptum est in uno titulo Grut. p. 334, 3 et passim apud scriptores. „Myr —" in titulis non memini me legisse, quamquam in libris saepenumero inuenitur; cf. Iuuen. sat. VI 81, VIII 200, Suet. Ner. 30, Domit. 10, Amm. Marc. XVI, 12, 49, XXIII, 6, 83. Praeterea titulus Thasius CIG 2164 „μορμ —", titulus Smyrnaeus ibid. 3392 „μερμ —" exhibent, de quibus formis cf. Dittenberger in Hermae uol. VI p. 143.

2) Neque aliter iudicauit Weissenborn ad h. l.

uidere? Et . . . consulem . . . Gallo . . . latus transfodisse". Quodsi reuera a. 192 — eo enim Quinctius consul erat — Galli gladiatores extabant, sine dubio uelut Samnites iam a Campanis instituti sunt; cf. p. 14[1]).

Eos Gallos, qui cum retiariis pugnarent, exeunte aetate liberae reipublicae anticum nomen amisisse[2]) et propter piscem, qui sine dubio, ut aduersarii reti caperetur, galeae affigebatur[3]), murmillones appellatos esse Festus l. c. tradidit. Tamen Cicero iam annis 44. 43 etiam Thraecum aduersarios Gallicos uocauit

---

1) Extat urna Etrusca (Conestab. monum. d. Perug. tab. 62, 3), in qua duo homines, quos nemo non pro Gallis habebit, scutis quadratis gladiis subligaculis soccis armati uestitique inter se pugnant. Iam igitur Etrusci Gallos captos composuerunt. Quibus pugnam bustuariam notam fuisse docent non tam Nicolaus Damascenus (apud Athen. IV p. 153 f.), homo leuissimus, quam aliae urnae Etruscae maximam partem ineditae — unam tantum apud Inghiramium monum. Etr. 48, 2 inuenies —, quas Gustauus Koerte liberalissime mecum cummunicauit.

2) Vidimus idem eodem tempore de Samniticis Thraecum adversariis factum esse; et hi et illi Graeco nomine appellati sunt.

3) Equidem non dubito, quin Festi explicatio uocis „murmillo" recta sit; nihil enim est ueri similius, quam reti retiariorum respondisse piscem Gallorum. Piscis *μορμύρος* s. *μορμύλος* s. *μύρμα*, qui in maris litore uiuebat neque magni aestimabatur, saepissime a scriptoribus Graecis memoratur; cf. imprimis Oppian. Halieut. I 100, Ouid. Halieut. 100 (= Plin. NH XXXII 152), Plut. mor. p. 977 e, Artemid. onirocr. II 14, Athen. VII p. 313 e, qui quinque alios scriptores ut piscis testes affert. Hodie quoque et Itali et Graeci hoc piscis nomen nouerunt; cf. Bonitzii indic. Arist. s. u. Accedit, quod *μορμύρος ἀμφιβλήστροις* i. e. iaculis (cf. p. 26) capi solebat; confer Plutarch. l. c. Repudianda est certe Walteri sententia, qui in Kuhnii annalium, qui „Zeitschrift f. vergl. Sprachwissensch." dicuntur, uol. XII p. 413 not. putat uocem „mirmillo" ortam esse reduplicata radice „mar —" s. „mal —", ea cui notio pugnandi insit. Piscis imago in compluribus cernitur galeis gladiatorum; tamen ea sola non demonstratur illas galeas fuisse murmillonicas; immo galea Pompeis reperta (cf. Niccolini caserma glad. tab. II 7, Henz. p. 133, 104), quamquam delphino est ornata, aut Thraecis aut oplomachi est propter magnam cristam amplumque marginem, et alter eorum gladiatorum, quibus nomina Prudes et Tetraites erant (cf. CIL IV 538) galeaeque piscibus praeditae sunt, propter sicam (cf. Helbig Wandgem. 1513) Thraex habendus est. Galea murmillonis in anaglypho Pompeiano (cf. infra) ita diruta est, ut decerni nequeat, num pisce fuerit ornata; piscem uero deesse omnibus ceteris gladiatoribus pictis, quos pro murmillonibus habeo, non mirum est, quoniam in retiariorum tantum aduersarios Gallicos quadrabat.

murmillones (cf. p. 33), id quod semper postea factum est. Sed cum titulus Venusinus, qui Gallum aliquem memorat, posterior esse uideatur Ciceronis orationibus Philippicis, ubi murmillonis cum Thraece pugnantis fit mentio, aut tertium fuisse genus Gallorum, quod nec cum retiariis uel Thraecibus componeretur et nomen anticum diutissime seruaret, aut nouum nomen Augusto regnante nondum ubique fuisse usitatum concludendum est[1]). — Praeter Festum Valerius Maximus I, 7, 8 („incidit deinde, ut proximo ab equite loco retiarius cum murmillone introduceretur" cet.) et C. Pedo Albinouanus apud Quintil. VI, 3, 61 (et Pedo de mirmillone, qui retiarium consequebatur nec feriebat: Viuum, inquit, capere uult[2])) murmillonis et retiarii testantur pugnam. Haec uero compositio, quippe quae post primum Christi saeculum non memoretur et in Pompeianis tantum monumentis inueniatur, non diu floruisse, sed omnino pugnante retiario cum secutore periisse uidetur. Sed cum Thraece murmillonis certamen usque ad exitum gladiaturae extitisse euincitur Ausonii uerbis technopaeg. p. 488 ed. Toll.: „quis mirmilloni contenditur aequimanus? Thraex". Praeterea id certamen saepe commemoratur; cf. p. 33. Pugnasse murmillones etiam inter se mox uidebimus.

Transeamus iam ad rem difficillimam, ad Gallorum seu murmillonum arma describenda. — Lipsius ex duobus Ammiani locis perspici posse putabat murmillones grauibus usos esse armis. Dicit enim is XVI, 12, 49 de milite Romano: „seque in modum mirmillonis operiens hostium latera, quae nudabat ira flagrantior, destrictis gladiis perforabat" atque XXIII, 6, 83 de Parthorum peditibus: „in speciem mirmillonum contecti iussa faciunt ut calones sequiturque semper haec turba tamquam addicta perenni seruitio nec stipendiis aliquando fulta nec donis". Sed prior locus nihil aliud indicat, nisi milites Romanos murmillonum i. e. omnino gladiatorum imitatione tegimentis suis bene esse usos; neque magis altero demonstratur murmillonum armaturam fuisse grauem. An

---

1) Id certe non ex illo titulo cum Henzeno et Friedlaendero concludendum est plane diuersa fuisse Gallorum et murmillonum genera aut Gallos etiam imperatorum aetate extitisse. Neque enim ab ullo horum temporum scriptore aut titulo memorantur.

2) De hoc loco Leemansii (Rev. arch. IX [1852] p. 82) et Friedlaenderi (p. 514) amplector sententiam, qui scribunt: „et Pedo de retiario, qui mirmillonem" cet.; nam illud: „uiuum capere uult" quomodo de murmillone possit dici, non intellego.

ueri est simile tale genus peditum, quale Ammianus describit, calonibus seruisque similium neque ad ipsam pugnam idoneorum grauibus contectum fuisse armis, quibus optimus quisque miles in omnibus exercitibus ornatus esse solet? Multo maioris momenti mihi esse uidetur, quod permulti scriptores Gallos magnis scutis usos esse narrant. Tamen dicit Polybius II 30: *οὐ γὰρ δυναμένου τοῦ Γαλατικοῦ θυρεοῦ τὸν ἄνδρα περισκέπειν, ὅσῳ γυμνὰ καὶ μείζω τὰ σώματα ἦν*; cf. etiam Liu. XXXVIII 21. Praeterea Gallorum scuta, quae non ex metallo, sed ex ligno et pellibus facta esse uidentur, haud ita magni ponderis erant et, quod est maximum, deesse Gallis loricam ocreas, saepissime etiam galeas[1]) et scriptores (Paus. X, 21, 2; Polyb. l. c.) et monumenta docent. Scuta pictorum Gallorum, quae semper fere longa, sed parum lata sunt, in rebus pusillis diuersissima inter se sunt, sed propria et legitima eorum forma ea fuisse uidetur, quae quattuor longioribus, duobus minoribus praedita erat lateribus[2]). Eadem uero scuti forma inuenitur in lucerna fictili (Henz. mus. burgh. tab. VII 6) et in urna Etrusca (Conestab. monum. d. Perug. tab. 62, 2)[3]), in quibus praeter Thraecem, de quo nulla dubitatio est, gladiator pictus est scuto illius generis, leui galea, cui tegimentum uoltus deest, non ocreis, sed soccis usque ad suras pertinentibus, ceteris legitimis gladiatorum armis, manica[4]) subligaculo balteo, tectus i. e. gladiator leuis armaturae. Is ergo propter scuti formam pro Gallo seu murmillone habendus est[5]); adde, quod aduersarius Thraex quantum scimus cum nullo alio gladiatore, nisi cum oplomacho aut altero Thraece aut murmillone pugnabat, is uero gladiator, de quo sermo est, neque oplomachus neque Thraex est. Quodsi recte de illis monumentis iudicaui, etiam anaglyphum Atheniense (Lebas, voyage archéol. tab. 18, 2) talem gladiatorem[6]) exhibet, qui mag-

---

1) Hac in re diuersa est armatura gladiatorum Gallicorum, qui Festo teste galeis uti solebant; monemur ergo, ne gladiatorum et ipsius gentis arma plane eadem fuisse coniciamus.

2) Cf. imprimis sarcophagum Ammendolae (mon. d. inst. I 30), quem satis est afferri; idem ex multis aliis perspicuum fit monumentis.

3) Gustauus Koerte me docuit urnam non post primum a. C. n. saeculum factam esse.

4) Vt saepe manica deest in lucerna, res plane nullius momenti.

5) Iam Henzen p. 111 quamuis dubitans hoc modo de lucerna iudicauit.

6) Omnino gladiatorem esse hominem indicatur manica et subligaculo.

num illius formae habet scutum leuemque galeam cristatam. In anaglypho uero Pompeiano (bull. Nap. IV tab. I) quarti gladiatorum paris, quod ab harenae ministris ad pugnam paratur, alter gladiator propter galerum, de quo nemo dubitabit, pro retiario habendus est; retiarius autem, ut supra uidimus, cum secutore et murmillone tantum componebatur; itaque cum illius retiarii aduersarius [1]) secutor non sit, deest enim ocrea, ueri simile uel potius certum est eum murmillonem esse; armatus uero is est similiter atque murmillones lucernae et urnae: leui galea, quae faciem non tegit, et soccis; scutum non delineatum est.

Sed aut fallor aut etiam plura extant monumenta, in quibus murmillones descripti sunt: monum. Scauri (par IV), anagl. Pomp. (par I) mus. Winkelmanni, Remense (Loriquet, mosaiq. d. Rheims tab. 6), fortasse etiam lucerna fictilis (Comarmand, descript. d. antiquit. d. Lyon tab. IV n. 601 p. 102); omnes hos gladiatores unius eiusdemque esse armaturae primo docemur aspectu; ad unum enim omnes leuiorem galeam clipeum rotundum gladium soccos manicam, plurimi tunicam balteo cinctam habent, soli monumenti Scauriani et lucernae gladiatores pro tunicis subligacula. Haec uero monumenta diuersissimis temporibus facta sunt; nam Pompeiana ante a. C. 59 (cf. p. 14 not. 1) orta esse uidentur; musiuum uero Winkelmanni de Rossi (bull. d. arch. crist. V p. 87) quarto ascribit saeculo. Ob eam rem atque, quia numerus illorum haud ita paruus est, usitatius aliquod genus ibi expressum esse puto; atqui ex eis generibus, de quibus certum iudicium adhuc deest, nullum noui usitatius murmillonico, quod saepenumero in monumentis ut occurrat nobis, expectamus. Adde, quod horum gladiatorum arma similia sunt armis murmillonum, de quibus supra dixi: desunt in utrisque, id quod est maximum, ocreae. Tamen una re inter se diuersissimi esse uidentur; etenim illi murmillones sexangulum habent scutum, hi cuncti clipeis armati sunt. Sed sarcophagus supra allatus exhibet etiam Gallos, qui similibus teguntur clipeis, ita ut gladiatoribus quoque Gallis duplicis generis scuta liceat attribui.

Accedit aliud. Solebant ueteres non solum gladiatores ipsos, sed etiam arma eorum exprimere. Sic in musiuo Remensi (Loriquet l. c. tab. X) et lucerna fictili Wisibadensi (n. 6463) armatura Sam-

1) Eius sinistrum bracchium ungi uidetur; Pirata unctor inter gladiatores memoratur in titulo CIL VI 631; cf. Friedl. p. 355. Puer crus sinistrum fasciis circumligat.

nitica, in pictura uero Pompeiana (bull. Nap. n. VII tab. 10) multa omnis generis arma inueniuntur. In lucernis [1]) autem saepe depicta sunt arma gladiatorum paris: Thraecis et oplomachi in lucerna Bartolii (tab. 95: duae ocreae galea sica parma scutum gladius galea), duorum Thraecum in luc. Moguntiac. (cf. p. 34 not. 1). In tertia uero lucerna (Bart. tab. 95) [2]) praeter galeam et par clipeorum, quae ad nullam certam pertinere uidentur armaturam, picta sunt in altera parte parma rotunda duae ocreae galea scutum una ocrea galea i. e. armatura Thraecis et oplomachi, in altera iterum Thraecis ocreae parma quadrata galea atque arma alius generis: tunica clipeus galea, quae cum neque Thraecis neque oplomachi sint, ad Thraecis uero aduersarium pertinere uideantur, ad murmillonem referenda sunt. Habemus igitur satis certa opinor argumenta, quibus murmillones praeter scuta sexangula clipeos atque tunicas habuisse efficitur. — Praeterea in monumento Scauri, ut supra uidimus, alter retiarius ministerio arenae functus morientem gladiatorem, quem equidem pro murmillone habuerim, in spoliarium translaturus est; consideranti uero alterum retiarium mihi existit suspicio eum esse tertiarium seu suppositicium contra murmillonem uictorem pugnaturum. Itaque etiam hac re coniectura mea de murmillonibus firmatur, praesertim cum retiarius praeterquam cum secutore cum uno murmillone componi soleat [3]).

Sed sunt fortasse qui illos gladiatores ob eam rem negent esse murmillones, quod adhuc non constet huius generis gladiatores

1) Inueniuntur in huiusmodi monumentis etiam singulae galeae, uelut in aliqua lucerna Moguntiaci seruata. Quin extant lucernae in modum galeae gladiatoriae formatae, Wisibadenses duae nn. 6446. 6387 (cf. Emele Beschreib. röm. u. deutsch. Alterth. in Mainz 1825, tab. VIII 1, 2); aliae eiusmodi lucernae delineatae sunt in Vincellii libro „recueil d. monum. ant.“ Paris 1817 tab. 26, 1—3, galea secutoris ex uitro facta Bonn. Iahrbb. XXXVI tab. 3.

2) Bartoli arma falso pro barbaris et ocreas pro bracis habet; delineatae sunt praeterea in lucerna quattuor res, quas gladios parum intellectos esse coniecerim; referendae sunt ad quattuor gladiatores quorum arma descripta sunt.

3) Coniecerit fortasse quispiam murmillonem etiam in sarcophago, quem Gori inscr. ant. III tab. 34 edidit, pugnantem cum aduersario grauibus armis tecto pictum esse. Est quidem is homo Gallus; sed Rossbach, qui de hoc monumento in libro „Röm. Hochzeits- und Ehedenkmäler“ p. 152 egit, munus aliquod intellegendum esse arbitratus plane errauit. Nam collato altero Rossbachii sarcophago perspicuum fit ueram pugnam hominis mortui cum hoste barbaro delineatam esse.

etiam inter se esse compositos. Tamen extat titulus Thasius CIG 2164 nondum recte explicatus, quo id probatur:

ΣΕΔΑΡΙΟΙ ΜΟΡΜΙΛΛΟΝΕΣ
ΕΚΑΤΑΙΑΣ· ΑΙΓΙΠΑΝ· ΕΚΑΤΑΙΑΣ ·ΤΥΝΔΑΡΕΩΣ ΕΚΑΤΑΙΑ
ΑΠΕΛΥΘΗ· ΝΙ Ο· ΣΤΕ·ΑΙ ·ΕΝΙΚΑ· ΤΙ·ΑΠΕΛΥΘΗ·Ε ΚΑΤΑ

Blackwell, qui primus titulum cum uiris doctis communicauit (Archaeolog. I p. 335 sqq.), et Boeckh (CIG l. c.) eum pro sepulcrali habent, in quo mortui gladiatores recenseantur; equidem plane aliter de eo iudicandum esse censeo. Atque primum quidem, cum neutrum *ἀπελύθη* (quod non de manumissione [1]), sed de missione quae dicitur intellegendum esse suo iure contendit Boeckh) numerus sequatur, sicut participia *νι(κήσας)* et *στε(φανωθείς)*, non dubium esse potest, quin ad unam pugnam pertineat; simili modo etiam *ἐνίκα* a *νι* et *στε* distinguendum esse uidetur, quia non est causa, cur hic *νι*, illic *ἐνίκα* scribatur. Accedit, quod imperfectum *ἐνίκα* uereor, ut de compluribus uictoriis possit dici. Praeterea etiam locus, quem *ἐνίκα* tenet in titulo, id pertinere non ad Tyndareum docet, sed ad Aegipanem, disiungendum uero ab eo esse numerum litteris ΤΙ indicatum. Id si uerum est, et *ἐνίκα* et *νι* Aegipani ascripta sunt, ita ut appareat *ἐνίκα* non idem significare atque *νι*. Ea autem res, quod numerum ΤΙ neque ad *ἐνίκα* neque ad *ἀπελύθη* referendum esse puto, si cui mouebit scrupulum, hunc solutum iri arbitror, si totam lapidis condicionem considerauerit. Neque enim omnia recte se habere ea res ostendit, quod in lapidis parte dextra non sicut in sinistra superiori uersui nomina gladiatorum dominaeque, inferiori pugnarum uictoriarumque numerus attributa sunt, sed quartum *Ἑκαταίας*, quamquam nomen gladiatoris, de quo pendebat hic casus alter, in superiore uersu scriptum fuisse uidetur, in inferiore adiectum est. Apparet, quomodo id factum sit. Errauit quadratarius, ut etiam aliis tituli locis [2]), et Tyndarei numerum

---

1) Sic iudicauerunt Blackwell l. c. et Henzen bull. d. inst. 1879 p. 47; infra uidebimus manumissionem in titulis Graecis alio modo indicatam fuisse.

2) Primum pro ΙΑ scripsit ΑΙ, quod nihili est; tum sine dubio Ο i. e. septuagies et ΤΙ i. e. trecenties decies corrupta sunt; toties enim pugnasse gladiatores ueri est dissimillimum; in Ο punctum omissum esse puto, ut corrigendum sit Θ i. e. nouies; pro ΤΙ uero scribendum propono ΙΓ i. e. ter decies. Titulum igitur sic restituo.

ἐσ]σεδάριοι *μορμίλλονες*
*ὁ δεῖνα] Ἑκαταίας Αἰγίπαν Ἑκαταίας Τυνδάρεως Ἑκαταία[ς νι*στε ὁ δεῖνα*
*νι*στε*] ἀπελύθη νι $\overline{\vartheta}$ στε $\overline{\iota\alpha}$ ἐνίκα $\overline{\iota\gamma}$ ἀπελύθη Ἑκατα[ίας νι*στε* ἐνίκα.*

uictoriarum et participium στε priori uersui attribuit; tum se errasse intellegens et errorem corrigendi cupidus numerum coronarum eo loco incidit, ubi etiam ceterae notae incidendae erant. Ita euenit, ut alterius gladiatoris nomen, quod iam non apparet, in priore, genetiuus Ἑκαταίας et numeri in posteriore uersu scriberentur. Recte fortasse Blackwell lapidem propter tot quadratarii errores neque plane perfectum et abiectum esse arbitratus est.

Sed reuertamur ad nostram quaestionem. Si meum iudicium de titulo rectum est, certi muneris in eo mentio fit eo modo, ut singula enumerentur gladiatorum paria, quae illo munere composita sunt, et singulis gladiatoribus numeri uictoriarum et coronarum ascribantur atque indicetur, quo quisque Marte illam pugnam subierit[1]). Memorantur autem duo paria, alterum essedariorum, alterum murmillonum, ita ut etiam hos inter se pugnasse in propatulo sit.

Quaecunque uero de murmillonibus dixerimus, recte dicta esse apparebit, si caput illud Artemidori onirocr. II 32 iam saepe allatum accuratius considerauerimus. Nam cum hoc loco praeter gladiatores ignobiles, sagittarios scissores laquearios andabatas, qui tum fortasse aut nondum pugnabant aut iam extincti erant, et praeter oplomachos, quorum arma a secutoriis non erant diuersa, omnes armaturae recenseantur, una quam maxime desideratur: murmillonica. Hercher quidem eum gladiatorem, qui extremo loco corrupta uoce ὀρβήλας s. ἀρβήλας indicatur, murmillonem esse coniecit. Sed quia apparet armaturas ita recenseri, ut, quo qua usitatior et nobilior fuerit, eo meliorem teneat locum, murmillonicam uero semper inter nobilissimas fuisse et scriptores et tituli — ut de monumentis taceam — testantur, Hercheri sententia reiciendа est, praesertim cum Friedlaender p. 519 recte opinor illo loco βήλης i. e. „ueles" scriptum fuisse suspicatus sit. Extat uero in illo capite alter quoque locus corruptus, dico uerba: εἰ δέ τις μετ' ἀργυρέων ὅπλων πυκτεύοι. Mendum non est in μετὰ — ὅπλων, quamquam alibi dicitur: εἰ μὲν Θρᾳκί s. σεκούτωρι s. ῥητιαρίῳ πυκτεύοι; nam scriptor ipse antea dicit non solum aduersarii, quocum quis se pugnare putet, armatura indicari mores mulieris, sed etiam ea, qua ipse somnians sit instructus (cf. ἐτήρησα δ' ἐγὼ πολλάκις καὶ γάμον τὸ τοιοῦτον ὄναρ προαγορεῦσαν γυναικὸς τοιαύτης, οἷα ἄν τις ᾖ ὅπλα ἔχων ἢ οἵῳ ἄν τις ὑπολάβῃ πυκτεύειν)[2]). Sed sine dubio ἀργυρέων corruptum est, pro quo

1) Plane eiusdem modi est titulus IRN 4649.
2) Similia dixit de tragoedis et comoedis I 56.

adiectiuo certum alicuius armaturae nomen desideratur, praesertim cum Artemidorus antea dicat: ἐπειδὴ δὲ ἄνευ τῶν ὀνομάτων αὐτῶν οὐκ ὂν εἴη σαφῶς παραστῆσαι τὰς ἀποδείξεις, χρήσομαι καὶ τοῖς ὀνόμασιν. Hercher[1]), qui Samnitium mentionem desiderauit, scripsit Σαμνίτῃ pro μετ' ἀργ. ὅπλ., quam coniecturam falsam esse ea docent, quae supra de Samnitium historia dixi; adde, quod armatura Samnitica, quam grauissimis usam esse armis inter omnes constat, mulier indicari nequit ἠρέμα πλουσία; cf. p. 20. Itaque nihil aliud relinquitur, nisi ut coniciamus murmillones illo loco olim esse memoratos et scribendum „μετὰ μορμίλλονος ὅπλων". Iam quid de murmillone nobis tradidit Artemidorus? Indicatur eo mulier ἠρέμα πλουσία; est igitur murmillonis armatura non quidem tam leuis quam retiarii, qui mulierem ἄπορον significat, sed leuior Thraecidica et Samnitica, quibus mulier πλουσία respondet. Verbum uero ἐσκέπασται, quod ad uocabula πιστὴν καὶ οἰκουρόν spectare uidetur, nullo alio modo uertendum est, nisi „uelatus est"; habebat igitur murmillo ampliorem uestem, quam ceteri gladiatores i. e. tunicam, quam uni illi gladiatorum generi, de quo adhuc certum iudicium deerat, legitimam fuisse monumenta docent. Praeterea cum uerbo ὑποβαίνει coniungendum esse censeo, quod Ausonius in centonis praefatione dicit: „mirmillo in armis subsidens"; etenim quoniam ipse leuioribus utebatur armis, Thraex uero aduersarius grauioribus, quae melius corpus tegebant, humi consideret subitoque data occasione erumperet erat necesse, ut celeritate superaret aduersarium periculosissimum.

§ 7. De ceteris armaturis.

De prouocatoribus dimachaeris scissoribus[2]) uelitibus nihil noui possum afferre; confer de eis imprimis Friedl. p. 519 sqq.

Essedarios et index gladiatorum Pompeianus CIL IV 2508 et titulus Thasius CIG 2164 (cf. p. 41 sqq.) demonstrant inter sese pugnasse; in illo enim legitur:

---

1) Hercher sine dubio Lipsii Henzeni Friedlaenderi communi sententia motus in hunc errorem incidit.

2) Coniecturam Fabrettii (inscr. ant. p. 65), qui scissores cadauera ictibus dissipasse putat, ne quis simulata morte deluderet, non solum ueri dissimillimam (cf. Friedl. p. 522), sed plane peruersam esse ea res docet, quod M. Caecilius scissor (IRN 737) tiro i. e. in pugna prima mortem obiit; est igitur scissor uere gladiator.

u(icit) [i]i[ssi]id. . . r?
Chrys⟨a⟩ntus . . . . II M. Artorius
ess.
m(issus) P. Ortorius LI
u(icit) Scylax Iul. XXVI.

Equites uero inter se pugnasse discimus ex Isidoro (orig. XVIII 53: „genera gladiatorum plura, quorum primum ludus equestrium; duo enim equites praecedentibus prius signis militaribus unus a porta orientis, alter ab occidentis procedebant in equis albis cum galeis aureis minoribus et habilioribus armis“ cet.) et e monumento Scauri; ceterum Cicero pro Sest. 126 (qui tamen quoquo tempore conspectus erat, non modo gladiatores, sed equi ipsi gladiatorum — extimescebant) fortasse non equitum equos dicit, sed eos, a quibus gladiatorum cadauera ex arena tracta esse Henzen p. 145 inde conclusit, quod in musiuo burghesiano talis equus conspicitur.

Laqueator, de quo genere Isidorus orig. XVIII 56 dicit: „laqueariorum pugna erat fugientes in ludo homines iniecto laqueo impeditos consecutosque prostrare amictos umbone pelliceo“, non solum in Kestneri aliquo lapide (cf. Henz. tab. VII 10, p. 114) expressus est, sed etiam bis in fragmento e terra sigillata facto et in oppido Arentsburgh reperto, de quo sic fere Leemans Rev. arch. IX (1852) p. 86 loquitur: „alterius dextra tenet laqueum aut flagellum, sinistra uidetur tenere pugionem; amictus est tunica; etiam crura uestita sunt; bracchium sinistrum tectum est galero. Aduersarius e superiore corporis parte nudus tenet dextra laqueum, sinistra gladium“. Recte Friedlaender retiariis eos similes fuisse arbitratur; nam laquearii quoque testibus monumentis habent galerum, carent galeis, scutis, ocreis.

De andabatis aliquid affert lucis glossa cod. Palatini inter Vaticanos 1773 (= Mai class. auct. VII p. 551): „andabetae [1]) gens quaedam“ etsi non docemur, ubinam ea fuerit; bene opiuor congruit, quod Lydus in catalogo militum legionis (de magistratt. I 46 = p. 157, 18 Bk) memorat *ἀνδραβάτας*, quos Graeco nomine *καταφράκτους* appellat. Scriptum quidem est *ἀνδραβάται*; sed propterea cum Fussio in *ἀνδαβάται* corrigendum esse uidetur, quod in priore uocabulorum ordine Latina nomina collocata sunt. Id ergo genus militum a certa gente depromptum esse uidetur. — Apud Ciceronem epist. ad famil. VII, 10, 2 (sed tu in re militari multo es cau-

1) Sine dubio idem est uocabulum atque „andabatae“.

tior, quam in aduocationibus, qui neque in Oceano natare uolueris, studiosissimus homo natandi, neque spectare essedarios, quem antea ne andabatam[1]) quidem defraudare poteramus) Trebatius incusatur sibi non constare: antea natandi studiosissimus erat, nunc in Oceano natare non uult; antea ne andabatam quidem defraudari potuit, nunc ipsos essedarios neglegit. Erant igitur andabatae ea aetate Romae uilissimi. Essedarios, quibus andabatas Cicero opponit, Britannos ipsos dici magis quam gladiatores docet epist. 6, 2: „in Britannia ne ab essedariis decipiaris caueto". Tamen andabatas re uera fuisse gladiatores Hieronymi tribus locis uidetur comprobari; is enim dicit adu. Iouin. I 36 (tom. II p. 294 d ed. II Vallars.): „melius est tamen clausis quod dicitur oculis andabatarum more pugnare, quam directa spicula clipeo non repellere ueritatis", contra Rufin. 3 p. 101 A (tom. II p. 512 a ed. II Vall.): „habetur dialogus apud Graecos Originis et Candidi, in quo duos andabatas digladiantes inter se spectasse me fateor", aduers. Heluid. 3 p. 3 A (II p. 210 d) „et ad hoc approbandum congerit de scripturis exempla quam plurima, more andabatarum gladium in tenebris uentilans et linguae sonum ad confodienda sui tantum corporis membra concutiens". Id si uerum est, andabatae eodem modo, ut Samnites Galli Thraeces, inducti sunt; tamen cum praeter Hieronymum, qui Varronis saturam „andabatae" inscriptam uertisse in notitiam uidetur — haec Friedlaenderi sententia —, nullus scriptor aetatis imperatorum eos memoret, tum iam fuisse extinctos recte idem est arbitratus. Clausis oculis eos pugnasse docet Hieronymus atque etiam saturae Varronianae duo frustula ad caecitatem pertinent; fortasse Lydo credendum est eos fuisse κατaφράκτους; talis gladiator cum bestiis pugnans, sed cui oculi non sunt clausi, in anaglypho Torloniensi (mon. d. inst. III 38) conspicitur.

S a g i t t a r i o s cum bestiis imprimis compositos esse Friedlaender p. 523 coniecit. Hac cum re pugnant uerba Persii sat. IV 42:

caedimus inque uicem praebemus crura sagittis;
uiuitur hoc pacto, sic nouimus: ilia subter
caecum uulnus habes, sed lato balteus auro
praetegit,

---

1) Ita cum cod. Medic. legendum est; sed non Trebatius dicitur andabata. Immo cum essedariis andabata respondeat, uerbum defraudandi hoc loco accusatiuum duplicem regit; cf. Varron. sat. Menipp. fr. 329 Buech.: „aes defraudasse coponem".

quae ad gladiatores spectare per se est consentaneum et scholiasta liquido affirmat. Quocum loco coniungendum esse distichon Nucis 171 sq.: „corpora praebemus plagis, ut saepe sagittis, | quem [1]) populus manicas deposuisse uetat" Buecheler me docuit. Vtroque loco euincitur sagittarios inter se pugnasse i. e. fuisse uere gladiatores.

De bestiariis et uenatoribus conferas Friedlaenderum; hoc unum monendum est saepius in monumentis gladiatores certae armaturae cum bestiis pugnantes esse descriptos; cf. Bonner Jahrbb. LXXI p. 111 sq., ubi huius generis gladiatores congessi.

Caput III.

§ 1. De significatione „stans missus est".

Pugnae gladiatorum duobus fere modis finiuntur: etenim aut alter alterum uincit aut neuter neutrum. Quodsi prior res euenit, alter gladiator, siue interficit siue ita uulnerat aduersarium, ut is iam non possit pugnare, summum adipiscitur honorem et quasi signum uictoriae palmam [2]); alter si pugnans moritur, ab omni

---

1) Sic pro codicum lectione „cum" recte emendatum est; uersui 172 inest sensus hic: „quem populus non mittit"; nam is, qui missus est, arma ac primum quidem manicam exuit.

2) Notum est gladiatores, qui aduersarium uicissent, palmam tulisse, ita ut tot palmas haberent, quotiens uicissent. Itaque dicit Cicero pro Rosc. Am. 17: „gladiator plurimarum palmarum" pro „gl. pl. uictoriarum" et in titulo Gaditano CIL II 1739 legitur: „Simp. c. s. lert (?) opl(omachus) palmaru(m) XX". Gladiatores palmam tenentes quod sciam in his monumentis inueniuntur: in mon. M. Antonii Exochi (Fabretti col. Trai. p. 258), Strobili (Rev. arch. VIII [1851] p. 325), in anaglypho Gorii (inscr. Etr. III 99), in pictura graphio facta (CIL IV 2364 a), in uitris duobus, quae exceptis inscriptionibus fere eadem sunt, Francogallico (Deville, hist. d. l. verrerie dans l'antiqu. tab. 49 a; hic ei gladiatori Proculi nomen ascriptum est) et Wisibadensi (n. 2598; cf. Emele, Beschreib. röm. u. deutsch. Alterth. tab. VI 9 p. 23 sq.; in hoc, ut ipse uidi, singula folia non distincta sunt; tamen certe palma in-

uacat honore neque minus uacat, si is, cui de uita gladiatorum ius est decernendi[1]), uictori imperat, ut aduersarium interficiat;

tellegenda est, quia gladii in uitro non picti sunt); cf. etiam palmas in lucerna aliqua Berolinensi et uase Lugdunensi (Cayl. rec. d'ant. VI tab. 107 = Boissieu, inscr. d. Lyon p. 464) e terra cocta factis atque in uitro Francogallico (Froehner, verrerie ant. tab. 21, 92), quibus bina gladiatorum paria distinguntur. Sed etiam coronis honoratos esse gladiatores demonstrant et duo tituli Graeci CIG 2164 (cf. p. 41), 2889, ubi singulis gladiatoribus numerus uictoriarum et coronarum (exempli gratia νι ε̄ στ ε̄) additus est, et monumenta Graeca haec: anagl. Trallianum (Fellows, discov. in Lycia p. 18), in quo una palma, sex coronae inueniuntur, anagl. a Letronnio editum (Rev. arch. III [1846] tab. 46), ubi nouem coronae spectant ad epigrammatis uerba (Kaib. n. 291): ἐννεάκις πυκτεύσας. Ex his titulis et monumentis concludendum esse uidetur in regionibus Graecis numerum pugnarum cunctarum indicatum esse coronis, uictoriarum, ut Romae, palmis. Tamen in anagl. apud Thessalonicum reperto (Rev. arch. VI [1849] p. 198) sex coronae depictae sunt, quae pertinent ad epigrammatis uerba (Kaib. n. 945): ἑξάκι νικήσας πατρίδ' ἐπηυκλέισα et in diptycho Areobindi (Millin monum. antiques inéd. I tab. 38), ubi nisi fallor harena conspicitur, homini corona quasi signum uictoriae imponitur. Titulis Pompeianis CIL IV 1476 (= Garr. graff. tab. XV 3), 2387 ad gladiatores pertinentibus graphio palma et corona ascriptae sunt. — Coronis, quibus trium gladiatorum (M. Antonii Exochi, laquearii [Henz. tab. VII 10], retiarii [bull. Napol. IV tab. 1]) capita ornata sunt, nihil aliud mihi uidetur indicari, nisi illos gladiatores fortissimos fuisse.

1) Hoc ius solus editor habuisse uidetur; de imperatoribus id testantur Ouidius ex Pont. II, 8, 53: „Caesaris ad nutum tuta gladiator harena | exit", Martialis lib. sp. 29, 3: „missio saepe uiris magno clamore petita est; | sed Caesar legi paruit ipse suae", Dio LXXVII, 19, 3: ἀγῶνα μονομαχίας . . . ἐποίησε (Caracalla) . . . ἔνθα λέγεται ἡττηθέντος τινὸς καὶ ἱκετεύοντος αὐτὸν ὅπως σωθῇ" cet; de aliis editoribus Cicero Tusc. II 41: „mittunt (gladiatores) etiam uolneribus confecti ad dominos, qui quaerant quid uelint: si satis iis factum sit, se uelle decumbere", Iuuenalis sat. III 34: „quondam hi cornicines et municipalis harenae | perpetui comites notaeque per oppida buccae | munera nunc edunt et uerso pollice, uulgus | quem iubet, occidunt populariter"; cf. ad h. l. Probi qui dicitur uerba: „fortuna immutata i. e. loco imperatoris occidit gladiatores". Sed et hi et alii loci (cf. Lips. II c. 22) docent editorem semper fere populi uoluntati obsecutum fuisse; cf. etiam Friedl. in Marqu. enchir. III p. 541, 7. — Femina in altiore suggestu sedens digitoque sublato gladiatores mittens depicta est in anaglypho, de quo Henzen bull. d. inst 1853 p. 130 conferatur. Editor in simili suggestu sedens inuenitur in pictura Pompeiana (Garr. graff. tab. XI 1).

sin uero quamuis fortiter pugnauerit artemque battuendi sese haud ignorare demonstrauerit, acceptis uulneribus, quominus pugnare pergat, impeditur, saepenumero a munerario mittitur[1]), ita ut hoc modo aliquam nanciscatur honoris speciem. Itaque in titulo Panormitano Or. 2571 (= Wilm. 2615) non solum uictoriarum indicari numerum, sed etiam, quotiens gladiator missus sit, nemo erit qui miretur[2]).

---

1) Is, qui grauius uulnus accepit, scuto demisso et Graeco more (cf. Krause Agonistik p. 522) sublato digito seu manu uictum se esse profitetur et uitam a spectatoribus petit; cf. Friedl. p. 363, 2. Scutum deposuisse et sinistram manum, qua antea illud tenuissent, sustulisse gladiatores deuictos monumenta docent sescenta; cf. etiam Senec. ep. 37, 2, dialog. I, 3, 3. Hinc profectus nemo non uidebit locum Martialis (lib. sp. 29, 5: „lex erat ad digitum posita concurrere palma") sine dubio corruptum hoc modo esse corrigendum: „lex erat ad dig. posita concurrere p a r m a". „Parma" poetice dictum pro toto eiusmodi tegimentorum genere. — Si gladiator digitum tollit, pugna, quocunque modo populus seu editor decernit, finita est. Nam si missio non datur, gladiator deuictus uetita defensione aduersarii ferrum recipere debet; cf. Cic. pro Sest. 80, Tusc. II 41, Senec. dialog. IX, 11, 5.

2) Fit etiam, ut pugnarum tantum numerus memoretur; cf. Or. 2567, Henz. 6174, CIL V 2884, 3459, 3465, 3466, 3468, 4506, ephem. epigr. IV n. 654. In istis titulis numero adicitur „pugnarum" seu „pugnauit"; deest haec notio in titulis non paucis, sed ita, ut numerus, quorsum pertineat, dubitari non possit; cf. titulos Pompeianos graphio inscriptos CIL IV 2508: „Pugnax Ner(onianus) III" sc. pugnarum, 1422, 1770, 2387. Ita cum se res habeat, in compluribus titulis Or. 2581, bull. d. inst. 1879 p. 47, CIL IV 538, 1421, 1422, 1474, 2387, 2508, V 4511, in quibus numerum antecedit nota LIB s. LIBR (CIL IV 1474), non cum Mommseno (ad CIL V 4511) explicauerim „liberatus octaua (pugna)", sed „libertus" seu „liberatus (= rude donatus) octo (pugnarum)". Certe in titulis Romano Henz. 6174 (d. m. Lyco lib. mur[milloni] scaeu[ae] pugna[rum] IV fec[it] Longinas lib. contrarete fratri b. m.) et Nemausensi (Or. 2585 = Herzog, Gall. Narbon. 234: „esse[darius] lib. Faustus . . . . . c[ompositionum] XXXVII), LIB illo modo explicandum est, quamquam Henzen bull. d. inst. 1879 p. 47 in Romano titulo prius illud LIB cum „pugna IV" coniungit et legit „Lyco l i b e r a t o m u r m i l l o n i s c a e u a e p u g n a IV". Simili modo in titulo Milesio CIG 2889, ubi ter inuenitur inscriptum ΕΛΕΥ — exempli gratia: *μουρμίλλων Κεράμυλλος ἐλευ. νι ε̅ στ* . . . —, cum numerus non statim sequatur, sed interposita nota *νι* i. e. *νικήσας*, libertus s. rudiarius (*ἐλευθερωθείς*) indicatur. — Haec litterarum LIB s. L explicatio eo confirmatur, quod in nonnullis titulis (CIL IV 1421, 1422, 2387) alteris gladiatoribus ascriptum est praeter numerum „Neronianus", qua uoce significatur hunc

Sed si pugna fert ut neuter gladiatorum uincat, aut uterque moritur aut uterque mittitur. Si prior casus euenit, neutrum honorari par est; nam ea, quae Martialis lib. sp. 29 narrat, non fuerunt in usu. Sin uero diu inter se pugnarunt summa cum fortitudine atque arte ideoque missio eis datur, uterque non multo minore afficitur honore, quam qui aduersarium prostrauit; uterque enim inuictum se praebuit. Factum autem esse reuera, ut uterque mitteretur, ostendit Martialis l. c.:

cum traheret Priscus, traheret certamina Verus
esset et aequalis Mars utriusque diu,
missio saepe uiris magno clamore petita est.

Trium igitur extat ordo honorum: aut uincit gladiator aut simul cum aduersario mittitur aut solus mittitur; primus in titulis V, tertius M indicatur; sed putes etiam alterum peculiari significatum esse nota, quae ut in titulis Pompeianis non inueniatur, ea re factum mihi esse uidetur, quod raro, ut uterque esset inuictus, accidit. Quaeritur, num alibi inueniatur. — In hac re proficiscendum est a Senecae loco (epist. 92, 26: „stans non potest mitti: aut uincatur oportet aut uincat"), quem Haase temere uexauit, Buecheler suo iure seruauit; ei inest sententia haec: pugna non potest esse incerta; immo alter aduersarius cadat necesse est. Indicatur igitur uerbis „stans mitti" incertum genus pugnae, ubi neuter uincit aut uincitur. Eadem autem uerba in titulis quoque duobus inueniuntur, Orell. 2581 (= Fabr. col. Trai. p. 256):

---

gladiatorem Neronis esse seruum, alteris praeter numerum L i. e. sine dubio „libertus". Saepenumero igitur gladiatores liberti s. rudiarii inueniuntur, quos multo maioris ut par est ceteris aestimatos esse Petronius c. 45 aperte ostendit dicens: „et ecce habituri sumus munus excellente in triduo die festa; familia non lanisticia, sed plurimi liberti". De Orellii (2581) explicatione: „Fimbriam librarum VIIII" tacere praestat. — In tribus aliis titulis IRN 736, 737, 4649 nominibus gladiatorum adicitur numerus et C uersa et alter numerus ubique aut minor priore aut par. Hanc ob causam et, quod littera T, quae explicanda est „tiro", nonnullis gladiatoribus ascripta indicatur hos in prima iam pugna occisos esse atque par fuit similem quandam notam, qua ceterorum quoque numerus pugnarum significaretur, adici, Wilmannsii sententiam (exempl. 2604) quamuis dubitanter prolatam amplector, ita ut priore numero et littera C uersa c(ompositiones) uniuersas, uictorias posteriore indicari arbitrer. Apud nonnullos in his titulis gladiatores unus tantum numerus inuenitur, qui quamquam in eo ordine extat, quo numeri uictoriarum laudantur, tamen ad pugnas referendus mihi uidetur; hi igitur gladiatores mortui sunt ante uictoriam reportatam.

„Thr(aex) M. Antonius Exochus nat(ione) Alexandrinus Rom(ae) ob triump(hum) Diui Traiani die II tir(o) cum Araxe Cae(saris)[1]) st(ans) miss(us), Rom(ae) mun(eris) eiusd(em) die VIIII Fimbriam lib(ertum) VIIII (pugnarum) miss(um) fe(cit), Rom(ae) mun(eris) eiusd(em) . . :“ et Orell. 2571. „Flamma secutor . . . pugnat XXXIIII, uicit XXI, stans VIIII, mis(sus) IIII“ cet.[2]). Hoc titulo, cum uerba „stans VIIII“ inter uerba „uicit XXI“ et „mis. IIII“ collocata sint, apertissime demonstratur eum, qui „stans missus“ esset, minore, quam qui uicisset, maiore, quam qui missus esset, honore esse affectum; illo uero non alterum solum gladiatorem, sed utrumque esse stantem missum; nam Exochus simul „cum Araxe stans missus est“[3]). — Hic uerbi standi usus se ipse explicat; is enim gladiator „stat“, qui nec fugae tergum dat nec concidit i. e. non deuictus est; cf. etiam Senec. dial. II, 16, 2: „(gladiatorum) alter premit uulnus et stat in gradu“.

§ 2. De suppositiciis seu tertiariis.

Saepius factum esse, ut gladiator, qui uicisset, cum altero aduersario componeretur complura docent testimonia; Martialis dicit V, 24, 8 de Herma gladiatore: „Hermes suppositicius sibi ipse“, quem locum recte interpretatur Raderus: „pugnando non defatigatus, sed perinde ac recens gladiatoribus nouis congreditur nec indiget, ut sibi alius sufficiatur. Gladiatores enim suppositicii erant, qui fessis et uictis gladiatoribus sufficiebantur, qui cum uictore contenderent, quos . . . Graeci ἐφέδρους nominabant.“ Suppositicii etiam in programmate Pompeiano inueniuntur CIL IV 1179: „Cn. Allei Nigidi Mai quinq. gl(adiatorum) par(ia) XXX

---

1) Pro certa habeo hanc Scaligeri explicationem litterarum CÆ, ita ut intellegatur Araxem e ludo Caesaris esse; cf. Or. 2574: „secundae rudi Caesarum“ cet. Certe inepte Fabretti CÆ et ST inter se coniungit et explicat „caest(ibus)“; neque minus falsa Friedlaenderi (p. 518) est coniectura GÆ i. e. Gallo; nam Galli tum iam non extabant.

2) Vicit XXI, stans missus VIIII, missus IIII; itaque pugnauit in summa XXXIIII.

3) In anaglypho, de quo uide bull. d. inst. 1853 p. 130, secutori et retiario pugnantibus ascripta sunt uerba: „. . . nantes missi“, quae Friedlaender p. 363, 3 sic restituit: „stantes missi“; tamen si anaglyphum reuera „. . . nantes“ exhibet, cum Henzeno legendum uidetur „pug]nantes missi“. Sed his uerbis nihil aliud significari atque illis „stantes missi“ in propatulo est.

et eor(um) supp(ositicii) pugn(abunt) Pompeis“ cet. Suo iure etiam Plinii iunioris locum (epist. VIII, 14, 21: „scilicet, ut in spectaculis quibusdam sors aliquem seponit ac seruat, qui cum uictore contendat, sic in senatu sunt aliqua prima, sunt secunda certamina, et ex duabus sententiis eam, quae superior extiterit, tertia expectat“) Lipsius ad suppositicios refert; cf. etiam Lactant. diu. inst. VI 20: „alios illis compares dari poscunt recentiores“. Appellabantur autem hi etiam tertiarii; dicit enim Petronius c. 45: „occidit de lucerna equites, putares eos gallos gallinaceos; alter burdubasta, alter loripes, tertiarius mortuus pro mortuo, qui habebat neruia praecisa“. — Sed nec Lipsius (cf. II c. 14: „substituebatur autem saepe unus, alter, tertius. Vnde in glossis ἔφεδρος tertiarius“) nec Friedlaender, qui illius uerba fere repetit p. 364, uocem „tertiarius“ recte explicant; etenim non tertius suppositicius ea significatur, quasi uictor quater pugnet, sed tertius gladiator, ita ut primus gladiator altero deuicto cum tertio gladiatore i. e. cum altero aduersario pugnet. Itaque Petronius dicit: „alter — alter — tertiarius“; idem demonstrat glossa a Lipsio allata; nam ἔφεδρος vocatur κατ' ἐξοχήν is, qui altero deuicto cum uictore pugnat; cf. imprimis Holwerdam Arch. Zeitg. 1880 p. 171. Etiam Plinius de tribus senatorum loquitur sententiis, quae ita inter se componuntur, ut pugna sit duplex.

Fortasse tertiarius in pictura Pompeiana (Garr. gr. tab. XI 1) et ut supra uidimus in monumento Scauri pictus est; fortasse etiam in epigrammate Kaibelii 529 σύνοπλος Πολυνείκης, qui mortuum gladiatorem ulciscitur, suppositicius est.

§ 3. De gladiatorum ordinibus.

Ars et disciplina gladiatorum tulit, ut iuniores gladiatores, qui artem discebant, et seniores, qui ea iam instructi erant, inter se distinguerentur. Primum apud Ciceronem in orat. pro Rosc. Am. 17 tironem a „plurimarum palmarum uetere ac nobili gladiatore“ inuenimus discretum; postea saepenumero et in titulis, uelut IRN 736, 737, Orell. 2581, CIL VI 631, et in libris gladiatoris nomini addita est notio „tiro“. Discimus autem ex titulo Venusino IRN 737 prima pugna feliciter peracta tirocinium gladiatorum finitum fuisse; nam Quartio, Amicus, Eleutherus gladiatores ibi memorati, qui semel feliciter pugnauerunt, in altera uero pugna

mortem obierunt, non habent ascriptam T[1]), ut Oceanus, Phaeder, Q. Perpernius, M. Caecilius, Q. Granius, qui omnes iam in prima pugna occisi sunt. Etiam M. Antonius Exochus (Orell. 2581) in prima pugna tiro est, quae uox omissa est, ubi de altera pugna narratur. Par erat eos gladiatores, qui tirocinium peregissent, peculiari signari nomine atque iam Henzen p. 104 coniecit „spectatos" hos esse appellatos; ascriptas enim uidemus nonnullis in titulis nomini armaturae gladiatoriae litteras SP (cf. Henz. 6173, CIL VI 631) quae interpretandae sunt „spectatus".

Non est mirum omnes uiros doctos illud „spectatus" uertisse „erprobt"; nam res ipsa hanc explicationem probare uidetur. Tamen ea me quidem iudice recta non est. Gladiatoris enim tirocinium, ut antea demonstraui, finitur ea pugna, in qua primum artem suam praestat neque lusoriis solum armis, sed etiam decretoriis bene se posse uti ostendit. Homines uero in ludo gladiatorio eruditos peracta demum feliciter decretoria aliqua pugna, si rem urgemus, uere gladiatores esse factos apparet, cum antea praepararentur tantum a doctoribus ad ipsam gladiaturam. Itaque haec pugna, in qua primum tiro a populo spectatur, summae gladiatoribus erat grauitatis summique momenti. — Dixi antea non temere „peracta feliciter decretoria pugna;" nam indicare uolui, ut finiretur tirocinium, non opus fuisse tironem aut uincere aut stantem cum aduersario mitti; nam nullus gladiator, cui in duobus illis titulis Venusinis T ascripta est, ante eam pugnam, qua decessit, iam a populo spectatus est — deest enim numerus pugnarum —, in altero uero titulo uel ei gladiatores, qui non uicerunt, sed pugnauerunt tantum, nota T carent, qua re demonstratur tirocinio eos iam ante uictoriam reportatam esse egressos. Itaque finis tirocinii nec uictoria fit nec sic, ut lanista gladiatorem ob fortitudinem artemque praestitam dignum habeat, qui desinat tiro esse et in proprium gladiatorum ordinem recipiatur, sed tum cum primum populus tironem spectauit. Hanc ob rem illud „spectatus" uerto „er ist vom Volke gesehen worden" i. e. publice in harenam

---

1) Semper felicium tantum pugnarum i. e. earum, in quibus gladiator non moritur, sed aut uincit aut stans mittitur aut mittitur, memoratur numerus. Extra hunc numerum ea est pugna, in qua gladiator interficitur; cf. CIL V 3466: „Glauco pugnar(um) VII Θ VIII", 3468: „Pardo pugnar(um) X, hic XI deceptus".

2) Henzen recte litteras S. V. in titulo 6171: „Thr(aex) Pinnesis s. u." explicat „spectatus uictor"; sed uox „uictor" ad unum illud munus, de quo sermo est, spectat.

prodiit itemque Horatii illud (epist. I, 1, 2) „spectatum satis" interpretor: quem satis viderunt pugnantem[1]).

Sed in titulo Romano CIL VI 631 non tirones et spectati solum, uerum etiam ueterani inueniuntur, qui nota VET indicati sunt, gladiatores euidenter maioris auctoritatis, qui certum numerum aut pugnarum uel uictoriarum aut in ludo annorum confecerant; inueniuntur etiam in altero titulo Romano Grut. p. 334, 3.

Sed etiam in palos[2]) primos seu rudes primas et palos secundos seu rudes secundas[3]) gladiatores diuisi erant, quae notiones saepissime in titulis et libris memorantur. Friedlaender optimum quemque gladiatorem ita praedicatum esse putat. Sed id propterea minime ueri simile mihi esse uidetur, quod numerus titulorum, in

---

1) Sunt fortasse qui expectent, ut inquiram hoc loco in tesseras gladiatorias quae dicuntur. Sed haec quaestio, postquam ab utra parte siue contra ueterum doctorum sententiam siue pro ea causae ad unam omnes prolatae sunt, eo prouecta est, ut retractari eam, antequam nouae tesserae rem magis illustrantes reperiantur, admodum inutile uideatur. Tamen liceat mihi hoc loco de illa re proferre coniecturam. Si reuera tesserae illae, id quod equidem certis argumentis iri olim confirmatum puto, ad gladiaturam referendae sunt, illud „spectauit", quod etiam sub litteris SP ceterisque latet, non licet explicari, nisi profecti a mea uocis „spectatus" interpretatione ad „spectauit" audimus „populus", ita ut tesseris indicetur, quando primum spectarit populus gladiatorem i. e. tiro in ordinem gladiatorum sit receptus. Puto uero „spectauit" uocabulum technicum ut ita dicam gladiatoribus fuisse quod nemo ignorauerit non esse coniungendum cum nominis gladiatorii casu primo eidem tesserae inscripto.

2) Salmasii (ad Lampr. Comm. 15) et Welckeri (syll. epigr. p. 65 sq.) sententiam, qui „palus" uocabulum pro Graeco habuerunt et de sortitione dictum esse putauerunt, recte refellit primus Labus apud Rosminium (stor. di Milano IV p. 435 sqq.), id quod Cauedoni bull. d. inst. 1846 p. 189 monet; cf. etiam Henzen p. 105. In propatulo enim est sumptum esse uocabulum ab exercitationibus, in quibus gladiatores rudibus usi sicut milites contra palum pugnabant, de qua re uide Senec. epist. 18, 8, Iuuen. sat. VI 247 cum scholio, Veget. I c. 11. Cum uox „rudis" ab eisdem exercitationibus deprompta sit atque „palus", non puto notiones „primus palus" et „prima rudis" diuersas inter se fuisse.

3) Inueni notionem „palus primus" his locis: Dio Cass. LXXII 22 (cf. Lamprid. Commod. c. 15, 8), bull. d. inst. 1865 p. 80, 1870 p. 13, Henz. 7419 c, Wilm. 2607, 2609, CIL V 5933, CIG 2663; „palus secundus": bull. d. inst. 1848 p. 70, CIG 3765 (= Kaib. 350); „prima" s. „summa rudis": Orell. 2575, Henz. 6189, Wilm. 2612 (cf. Friedl. p. 511); „secunda rudis": bull. d. inst. 1865 p. 11, Orell. 2573, 2574.

quibus illae notiones inueniuntur, si comparatur cum numero omnium inscriptionum, ubi nomina gladiatorum memorantur, maior est, quam ut paucos gladiatores illo modo appellatos esse mihi persuadeam. Immo significari eis puto pariter atque uocibus „spectatus“ et „ueteranus“ ordines gladiatorum, in quibus praeter tirones ad unum omnes fuerint. Non in omnibus titulis, ubi singuli gladiatores memorantur, adiectam esse unam ex illis notionibus non mirum est, praesertim cum „spectatus“ et „ueteranus“ multo rarius inueniantur ascripta. Neque uero nomine „palus primus“, quo nobilius non habebant gladiatores[1]), emeritos uel rude donatos significari, sed eos, qui in harena pugnent, cum ea docent, quae de Commodo principe narrantur tum tituli CIL V 5933: „Vrbico secutori primo palo, qui pugnauit XIII uixsit ann. XXII“, Wilm. 2607: „T. Flauio Incitato secutori palo primo uix. ann. XXVII pugnauit XVI“. Sed etiam uerbo „ueteranus“ meliores et uetustiores significati sunt gladiatores, id quod per se elucet et titulo CIL VI 631 confirmatur, ubi maioris auctoritatis ordo non inuenitur. Itaque notionibus „ueteranus“ et „primus palus“ et „prima rudis“ eundem dictum esse ordinem mihi persuasi neque aliter de notionibus „spectatus“ et „secundus palus“ et „secunda rudis“ iudico[2]). — Omnes illas notiones ne ita coniungamus, ut tironibus exceptis quattuor existant ordines dispares ac diuersi: spectati ueterani pali seu rudes II pali seu rudes I, id quoque obstat, quod T. Flauium Incitatum pugnarum XVI annorum XXVII aut adeo Vrbicum pugnarum XIII annorum XXII iam tum egressum esse et tironum et spectatorum et ueteranorum et palorum II ordines uix potest credi.

At dixerit fortasse quispiam allato loco Lampridii Commod. c. 15, 8 (appellatus est sane inter cetera triumphalia nomina etiam sescenties uicies palus primus secutorum) notionibus illis non indicari certum ordinem, sed totiens gladiatorem nominatum esse palum primum, quotiens ceteros insigni fortitudine superasset. Si Dionis epitomatorem inspexeris, qui LXXII, 22, 3 dicit: *καὶ γὰρ τοῦ κολοσσοῦ τὴν κεφαλὴν ἀποτεμὼν καὶ ἑτέραν ἑαυτοῦ ἀντιθεὶς καὶ ῥόπαλον δοὺς λέοντά τέ τινα χαλκοῦν ὑποθεὶς ὡς Ἡρακλεῖ ἐοικέναι ἐπέγραψε πρὸς τοῖς δηλωθεῖσιν αὐτοῦ ἐπωνύμοις καὶ τοῦτο· πρωτόπαλος*

---

1) Id ea re demonstratur, quod Aelius Marcion (Wilm. 2609) et doctor et primus (sc. palus) appellatur et quod Commodus princeps eo nomine quasi nobilissimo utitur.

2) Vnius rei significationes aliae aliis temporibus extitisse uidentur.

σεκουτώρων ἀριστερὸς μόνος — fortasse scribendum est collato Herodian. I 15 extr. *μονομάχους*, quod iam Casaubonus suasit — *νικήσας δωδεκάκις οἶμαι χιλίους*, intelleges illis Lampridii uerbis idem narrari atque uerbis Dionis et eiusdem Lampridii c. 17, 10 (colossi autem caput dempsit, quod Neronis esset, ac suum imposuit et titulum more solito subscripsit, ita ut illum gladiatorium et effeminatum non praetermitteret), quibuscum plane congruit Herodianus I 15 extr.: *τοῦ δὲ μεγίστου ἀγάλματος κολοσσιαίου, ὅπερ σέβουσι Ῥωμαῖοι εἰκόνα φέρον ἡλίου, τὴν κεφαλὴν ἀποτεμὼν ἱδρύσατο ἑαυτοῦ ὑπογράψας τῇ βάσει* [*οὐχ*] *ἃς εἰώθασι βασιλικὰς καὶ πατρῴους προσηγορίας, ἀντὶ δὲ Γερμανικοῦ· μονομάχους χιλίους νικήσαντος.*

Quod ad rem summam attinet, tres scriptores consentiunt; tamen alius alia addit, ita ut coniunctis demum eis, quae singuli narrant, totam rem plane integram habeas. Ipsum nomen gladiatorium melius ceteris Dio[1]), quia illud *ἀριστερός* (= scaeua; cf. Henz. bull. d. inst. 1879 p. 47) adiecit et, sicut in titulis fit, numerum uictoriarum disiungit a uerbis *πρωτόπαλος σεκουτώρων*, uidetur referre atque docere Lampridii locum corruptum esse. Accedit, quod numerus pugnarum non cum eo consentit, quem praeter Dionem ceteri tradunt scriptores. Vtraque difficultas soluitur, si lenissima mutatione scribimus: „sescenties u i c t o r palus primus secutorum"; facillime enim uocis „uictor" litterae extremae propter antecedens „sescenties" corrumpi poterant in „uicies". „Sescenties" uero numerus cum nullo alibi tradito pugnat.

Iam omnia plana sunt neque ulla res obstat, quin omnes gladiatores post tirocinium in duas diuisos esse partes existimemus, in primos et secundos palos seu rudes; tertius uero palus — is enim propter primum et secundum expectatur — quodam modo tiro est, licet ita appellatos esse tirones nullo firmetur testimonio.

---

1) Tamen numerus uictoriarum, cum et Herodianus l. c. et Lampridius c. 12, 11 („item postea tantum gladiaturarum [haec emendatio Buechelero debetur] confecisse uel uictis retiariis uel occisis, ut mille palmarum [codd. uocem post „tantum" collocant] contingeret" i. e. sub patre pugnauit trecenties sexagies quinquies [c. 12, 10], postea septingenties tricies quinquies [c. 11, 12]) et Iulius Capitolinus in uita M. Aurelii c. 19, 4 ([Commodus] mille prope pugnas publice populo inspectante gladiatorias imperator exhibuit) de mille loquantur palmis, a Dione non recte memoriae traditus est, ut Casaubonus recte coniecit. Etiam *οἶμαι*, praesertim cum de inscriptione, cuius uerba cetera optime recordatus esset scriptor, ageretur, corruptum esse Buecheler me monuit. Aliter iudicauit Kreutzer d. Herodian. dissert. Bonnens. 1881 p. 36.

INDEX

NB. Dissertatione a typotheta paene perfecta inspexi nouam Friedlaenderi libri editionem; sed nihil fere mutatum esse inueni.

VITA

Natus sum Paulus Ionas Meier Magdeburgi a. h. s. LVII patre Francisco, matre Alma de gente Kuehne. Fidei addictus sum euangelicae. A. LXV paedagogium sanctae uirginis in patria adii, ubi imprimis Alfredo Eberhard u. cl. usus sum praeceptore. Vere a. LXXVI maturitatis testimonio instructus inter academiae Tubingensis receptus sum ciues ibique stipendia feci. Semestribus III post Bonnam profectus per triennium huius almae studiorum sedis fui ciuis. Tum per sex menses Gottingae commoratus uere huius anni huc redii.

Docuerunt me uiri clarissimi Class Flach Henke Herzog Schwabe Sigwart Teuffel Tubingenses, Buecheler R. Kekulé Leo Maurenbrecher I. B. Meyer Schaefer Vsener Bonnenses, Bruns Dilthey Koerte Gottingenses. Vt in seminarium philologorum regium reciperer, Buecheleri et Vseneri egregia erga me beneuolentia factum est; seminario historicorum me admisit Schaefer. Exercitationibus suis ut interessem, benigne concesserunt epigraphicis Buecheler, archaeologicis Kekulé et Koerte, philologicis Leo.

Quibus uiris omnibus optime de me meritis, imprimis uero Buechelero Kekuléo Vsenero maximam habeo gratiam semperque habebo.